R. P. F. ALPHONSI MADRILIENSIS,

DE VERA DEO APTE INSERVIENDI Methodo

LIBELLVS AVREVS,

AB AUCTORE HISPANIcè conſcriptus, & per F. Joan. Hentenium in Academia Lovanienſi, SS. Theologiæ Profeſſorem in Latinam linguam traductus.



Olim

COLONIÆ

Impreſſus Anno Domini. 1684.

PROLOGVS.

HABET D. Ambrosius: Ignorantiam ordinis & modi, quibus operandum est, plurimùm turbare meriti qualitatem. Neque existimandum est, ut idem asserit, nos plenam habere rei notitiam, si cognoscamus quid nobis sit agendum, nisi & sciamus ordinem in eo procedendi. Hinc manifestum est, parum admodum prodesse, si quis noverit, quidquid scriptum est ad hoc ut Deo serviatur, ignoret autem quo modo & ordine id sit in opus deducendum. Et quanquam ars seu scientia ad omne bonum à supremo artifice Deo

promanet, multique ejus bonitate illuminati sint, & prævenri in benedictionibus suavitatis ac dulcedinis, non ob id omittendum est, neque tollitur obligatio faciendi, quod in nobis est, scrutando ejus præcepta & voluntatem, ac cætera quæ necessaria sunt, ut perfectè adimpleamus, quod ei beneplacitum est. Ad quod utilis erit brevis forma seu Methodus, quam hic tradimus, quò sciamus, & ad opus valeamus deducere grandia illa, quæ nos docet scriptura sacra. Ad quod, non minus opus est, ut ars quæpiam investigetur, quàm ad quidvis aliud, quod rectè cognoscere & operari cupimus. Ad quam artem investigandam plurimum temporis insumpserunt sancti Doctores, eamque multis verbis scriptam reliquerunt in variis voluminibus, quorum omnium brevem hic collegimus epilogum. Cum autem

breve hoc opusculum potissimum ad animæ exercitia dirigatur, videbitur interdum inexercitatis in cognitione & operatione actuum seu officiorum potentiarum animæ subobscurum. Ostendemus tamen post pauca in ipsius libri prosecutione, adeò non esse obscurum, ut etiam cæteris similis argumenti libris circa mores informandos, lucem non modicam adferat. Neque superfluum aut inane quisquam existimet, tradi documenta nos instruentia, quibus juvemur, ut Deo serviamus, cum scriptura universa attestetur illa esse necessaria: & D. Paulus dicat nos Dei adjutores esse. Non recte autem, vel non satis adjuvat, qui non quantum potest & debet adjuvat. Neque aliud est in nobis ipsis nos adjuvare Deum, nisi movere animam nostram in nostris omnibus operibus, juxta præsentis artis regu- 1. Cor. 3.

las: secundum quod & ipsa Theologia sacra, pluribus verbis manifestat. Animadvertamus, quod & Philosophus in Metaphysicis dicat, genus hominum arte vivere, ubi, hac proprietate, videtur hominem à cæteris animalibus secernere: nempe quod illa omnia sine arte regantur, solo naturali instinctu, homo verò arte ac ratione. Potest ergo is dici veluti naturali tantum instinctu Deo inservire, quod ad ipsi obsequendum ea ratione dirigitur, quæ majorem percipit consolationem: non advertens intellectu ac ratione quæ à Deo accepit, an quispiam sit modus, quo sublimius Deo servire valeat. Præterea, non est quod quis causetur Spiritus Sancti unctionem omnia docere, & ita arte seu Methodo opus non esse, ut quis Deo servire addiscat. Illud enim verum est, modò & nos ipsi adjutores simus scrutan-

do & operando juxtà quod in sacris literis, & in hac quam tradimus arte edocemur. Neque enim Spiritus sancti unctio docet nolentes discere, quin potius reluctantes. Præterea, ne suave domini jugum, cuiquam grave videatur, animadvertamus, non esse mirandum, si dies nonnulli insumendi sint, ut quis tam sublimem assequatur sapientiam, quo hac arte rectè uti possit. Si enim in Grammatica aut Dialectica, artibus longè inferioribus, insumit quis tres aut quatuor annos: imò & totam vitam, si in aliqua perfectus esse velit, quanto melius vita collocabitur, etiam si tota in eo insumatur, ut quis perfectè hanc artem tam sublimem assequatur, ad quam tanto labore docendam, ad nos venit supremus magister IESUS Christus.

Porrò ei qui hanc artem incipit addiscere, considerandum est eidem

eventuram quod infanti solet accidere. Hic enim cùm animam habeat, ratione non utitur: & corpore, cum pedes & crura habeat; non tamen potest incedere: ubi autē crescere incipit, membraque movere, id quidem facit, magna tamen cum difficultate, & subinde cadendo, donec succrescente ætate, & continuò accedente exercitio, ita liberè incedat, ut etiam currat dum libet. Id ipsum contingit in exercitiis, dum quis Deo purè inservire cupit. Nam etsi anima sit integra, adeo tamen alligata est & aggravata, ac sine viribus, quibus se moveat in perfecto itinere: quod in sacro Evangelio aperitur, & in hac quam tradimus, arte declaratur, ut omninò ambulare nesciamus: aut si ad hoc movemur, id tanta fit difficultate, ut nostrum ambulare propemodum nihil sit: viriliter tamen in hoc contendamus:

mus: nam dum id vix ſperare audebimus, etiam curremus per ſublimia illa itinera: ut de nobis verè dicatur, quod motus noſtri potiùs ſint Angeli volantis, quàm hominis in terra ambulantis. Plurimùm autem annotandũ eſt, neminem debere excuſationem prætexere, ne Deo inſerviat modò quem hic tradimus, quaſi contentus literali obſervatione ſuæ regulæ, aut præceptorum Dei, utpote quæ ad aſſequendam ſalutem ſufficiant: Nam ut habet Apoſtolus, voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra. *1. Theſ. 4.* *Cum ergo mundi amatoribus non ſufficiant acquiſitæ jam opes, ſed plures ſemper exoptant, etiam Deo contrarium præcipiente; neque nos præſentibus contenti eſſe debemus, ſed virtutem eximiam, ac præmium quod expectamus in dies augmentare expedit, cùm Deus adeò ardenter deſideret, ut illud obtineamus. Quod*

ſi eò

si eò non tendit noster appetitus ea ratione qua nobis id utile est, saltem vel ob id eò se extendat, quòd sciat Dei esse voluntatem, ut in omnibus magnificemur, tanquam filij talis patris æterni, qui est in cælis, & nos

Levit. 19. *admonet dicens, Sancti estote, quoniam ego Dominus Deus, & pater vester sanctus sum.*

Potest autem hic liber inscribi

Divisio totius libri.

Ratio, Ars seu Methodus apte inserviendi Deo, qui in tres partes secari poterit. Prima continebit quædam documenta, seu regulas universaliores, quibus in omnibus nostris actionibus dirigamur. Secunda pars quædam magis particularia, in quibus Dei servum exerceri oportet, quo restaurari valeat strages aut corruptio, quam in eius animam induxerunt peccata. Tertia de Dei amore tractabit, & eorum quæ ille amari iubet, in quo amore consistit legis &

omnis

omnis boni nostri operis adimpletio. Advertat autem quisquis hæc legerit, quantum adhibet laborem ac diligentiam, qui in arte quapiam peritus & instructus esse cupit, & quàm æquum sit ut hac in re maior adhibeatur diligentia. His ergo considerationibus adhibitis, & potissimùm adjuncto supremi præceptoris nostri IESU Christi, ac æterni Dei & Domini auxilio, dictam Artem seu Methodum inchoemus.

PRIMA PARS.

PRIMO DOCUMENTO, POST *generales quasdam considerationes, ponitur quoddam Evangelicæ perfectionis compendium.*

PRIMUM nobis visum est quasdam tradere præmonitiones ei, qui hac ratione seu Methodo uti voluerit, potissimum cùm ipse sibi Magister futurus sit ac discipulus. In primis igitur animadvertendum est, quod, ut ex scripturis sacris ac patribus colligimus, omnes in hunc mundum producti sumus, non ut in bonis caducis hujus vitæ quiescamus, aut gaudium sumamus, cum minima sint ac vilia: sed ut ab eis,

Cur in hũc mũdum editi simus?

quantum nostræ necessitati satis est, juxta Dei ordinationem assumentes, totam vitam occupemus in sublimibus opibus magni illius Dei: qui nos in hoc creavit, quò beatos nos efficeret, ac sui ipsius possessores, qui est bonum infinitum, in quo omnia bona longè eminentius & abundantius possidebimus, quàm vel cogitare sufficimus. Rursum nobis advertendum est, quod, licet Deus, sub comminatione mortis æternæ, nos non obligaverit, ut suo obsequio essemus perpetuò intenti, sed tum duntaxat, cum observandum occurrit aliquod ejus præceptum: lege tamen æquitatis, qua nosipsos observare debemus tanquam filios tanti patris. non cœnobitæ tãtum: sed & omnes Christiani, obligamur sublimiorẽ procurare sanctitatem, semperque servire, tam excelso domino ac patri. Si quidem de universis dixit divina majestas: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã.* Et juxta san-

Lege æquitatis, Deo sublimiori modo seruire tenemur.

Gen. 5. quando

ta Sanctorum doctorum interpretationẽ, tunc homo totus ad imaginem ac similitudinem Dei invenitur, cum in hoc se occupat, ut Dei magnalia cognoscat & amet, eximium ex illis assumens gaudium. Et in Evangelio ait: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis.* Sanè æquissimum est, ut sanctus sit. qui filius ejus est, quem Seraphim incessanter sanctum decantat; ut nunquam obliti cujus simus filij, non satis nobis sit, donec juxta nostram fragilitatem sancti simus: nempe ut cor nostrum, à cujusvis rei terrenæ amore abstrahamus, illud reflectẽtes in patrem nostrũ, qui infinitæ bonitatis est, magnoq; affectu illuminat ac sanctificat eũ, qui ad suam majestatem accedit, tanquam ad patrem tam excelsum ac infinitarum dignitatum & excellentiarum. Iuvant quoq; ut in his magis moveamur, quæ sub finẽ Prologi diximus. Cognita itaq; obligatione quam universi habẽt ad hoc ut sancti sint, potissimum

quis ad imaginẽ Dei esse inveniatur?

Mat. 5.

Sãcti cur esse debeamus?

tamen hi qui approbatum aliquem Ordinem sunt professi, tanquam specialiùs ad hoc vocati, simul advertemus qnod quemadmodũ in hoc sæculo maxima approximatio sive amicitia, quam potest quis assequi qui apud aliquem regem est, ut sit cum illo unius voluntatis ac desiderii: ita vera sanctitas in hoc uno consistit, ut quis unius cum Deo spiritus sit ac voluntatis. Verùm ut ad sublimitatem illam pervenias, necessum est, ut cunctatum virtutum iter pertranseas, quæ in evangelio reliquâve scriptura sacra describuntur, quasq; nos filius Dei altissimi tanto labore docuit. His omnibus consideratis, quoniam ex magno appetitu quo homines ad quævis scienda feruntur, etiam brevi quodam summario scire cupiũt, quicquid in opere quopiam continetur, queve in eo tractanda sunt: idcirco, quicquid in hac methodo vel arte, quam hic tradimus, comprehenditur, brevi ac summaria

In quo vera sanctitas cõsistat?

hac

hac consideratione proponemus, quæ animo in se collecto sæpius relegenda est.

Summa totius perfectionis.

Quum homines nudi ac egeni creati simus, qui tamen fieri possemus divini & opulentissimi, ad id semper certum Dei auxilium procurare debemus, nempe ut talis in anima nostra fiat mutatio, quò sentiamus voluntatem nostram in hoc insistere, non ut nostra quærat quatenus nostra, sed ut Deum quærat, & quicquid boni habet sua majestas, nos ipsos autem tãquam aliquid quod Dei est, & quo, ex infinita sua bonitate ac dignatione, sibi serviri cupit, adeo ut semper eximia illius bona gloriamq; infinitam habeamus, ut bona nostra, imò potiora quàm nostra: & illũ laudemus, in eoq; gaudeamus, amplius quàm in quovis bono, quod obtinemus aut speramus, vel quod nobis potest cõtingere, pro perfecta beatitudine ducentes, ut illa majestas possideat infinita bona quemadmodum jam possidet, tan-

quam noſtri ipſorum nullam curam gerentes: totis tamen viribus adnitentes, quo cœlo recipiamur, ubi illum videamus, & perfectius gaudeamus : non ob noſtrum per ſe gaudium, ſed quòd majeſtas illa, cum ſit infinitæ gloriæ, infinita ſua bonitate velit nos magnifieri, ſublimi illa hereditate & opibus, quas ipſe poſſidet, & cum ipſo omnes eos, qui pro ultima ſua requie ac bono, exoptant, ut majeſtas illa, tantã habeat gloriam quãtam habet, idq́; eſt cum Deo unũ eſſe ſpiritum.

Quid ſit eſſe unũ cum Deo Spiritũ?

Notandum præterea eſt, ad cõſũmationem noſtræ ſummariæ cõſiderationis, quod cùm jam veluti per tranſennam viderimus in quo conſiſtat mutari nos, è nudis hominibus in divinos, operæ pretiũ quoq́; erit, ſummatim cõſiderare, quod in hoc opuſculo tractatur ad adipiſcendum tam ſublime bonũ. Id autem bifariã ſecari poteſt: qua in re, gravi conſideratione ſiſtere debet cor noſtrum, ſi cupiat ad dictam

Totius libri hujus ſumma.

ctam ſublimitatem aſcendere. Horum prius eſt, ut oſtendatur, quam perdita & abjecta erat anima noſtra ad hoc, ut tam ſublimem mutationem aſſequi poſſet: alterum, ut declaretur ac tradatur ratio, ut bonis conſiderationibus moveamur ad reparationem tãtæ ſtragis factæ: utque cognoſcamus & utamur magnis viribus ſeu inſtrumẽtis, quæ in anima habeamus ad hujuſmodi reparationem procurandam, & ad abjiciendum pravas cõſuetudines, animamq́; ornandam omnibus virtutibus: quò ita ornati, ſimus parati ad ſuſcipiendam prædictam sãctitatem; quæ in hoc potiſſimum conſiſtit, ut diximus, quò unus cum Deo ſpiritus uniuſq́; volũtatis efficiamur: ad quod omnino neceſſum eſt, ut magna diligentia conſiderentur, ac fiant, quæcunq́; aut prædicta ſunt, aut in ſequentibus dicentur. O dolendã ſtragem animarum noſtrarũ quæ ex peccato factæ ſunt inſenſatæ ac irrationales. Nam cum ad tam ſublimi-

Quãta sit animarũ nostrarũ strages?

limia vocati simus, audiamusq; illa, ac legamus, veluti in prædicta illa summaria consideratione relatum est, quidam tamen ad illa non amplius trahuntur aut moventur, quàm irrationalia pecora, conspectis pretiosis margaritis, aut cibis delicatissimis: qui tamen si videant, legant vel audiãt abjecta quædam aut terrena, non secus ad illa rapiuntur, quàm jumentum ad stramina, fœnum & avenam, nempe assuetum suum cibum. Quapropter, obsecro per viscera misericordiæ Dei, advertamus, quod ut ad tantam sublimitatem extollerẽtur homines, Deus ipse factus est homo, ob id ipse mori dignatus est, cùm tamen aliis modis, innumeris vitam nobis dare potuisset: ad id voluit ut Angeli sui fierent nostri ministri, ad hunc finem, dedit nobis cœli terræq; ministeriũ, & omnium quæ in illis sunt. Qui igitur à tam sublimi vita avertitur, omnem hanc ordinationem, quod in se est, deducit ad nihilum.

Com-

Complures, eò quòd non attigerint, perfectam notitiam prædictæ rationis, nec intellexerint, quam prædiximus, debitam sibi excellẽtiam, omiserunt animas suas juxta Dei volũtatem sublimare, aut extollere, adeò, ut multi Deo diditi ac religiosi, eò quòd non intelligerent quando in suis operibus ob solum Deum moveantur, frequẽter aurichalcum pro auro, & stannum pro argento eligũt, aut quod mediocre est pro eminenti. Unde, ex superbia, quam habent in sui complacentia, parvaq́; diligentia, quam hac in re adhibent, provenire, solet ut tota vita in his egeni ac inopes persistant, contenti fragili quadam dulcedine, &, quò ad rerum mundanarum appetitum, mortificatione: quod quantam in se habeat deceptionem, judicet is, qui novit Dei Filium redemptorẽ nostrum, vitam egisse in hoc mundo, plenam innumeris angustiis; mortuumq́; esse morte innumeris plena doloribus, quò omnibus his

Quæ sit causa, cur multi pij ac religiosi, Deo perfectè non serviant?

Cur Dei Filius tã multa in

hoc mundo sustinuerit?

rebus invitaret, ut ipsum sequeremur eodē sublimi suæ divinæ voluntatis itinere, abstracti ab infinitis propriis cupiditatibus, quæ quolibet momento nobis repræsentantur, &, cum propriæ sint, abigi debent, quò universa nostra opera proficiscantur à suprema voluntate divina, veluti jam diximus, latiusq́; postea dicturi sumus, atq́; ex consequenti unum idemq́; efficiamur cum ipso summo Deo: & de ejus sublimitate ac gloria, magis quam de nostris propriis gaudeamus.

Nec est quòd quisquam queratur, librum hūc intricatiorem, seu difficiliorem esse, quàm alios similes, nempe qui ad fovēdam devotionem descripti sunt. Nam hic, qui nonnullis videtur obscurior, tantæ charitatis est, ut cæteros hujusmodi libros, qui communiter leguntur, reddat intellectu faciles. Siquidem libri morales, seu devotionis causa conscripti, tria potissimum continent. primum ea

Libri devotionis causa cō

quæ

quæ facere debemus, deinde varia *scripti,*
dicta, rationes & exempla quibus *quæ tria*
provocemur ac invitemur ad faci- *potissimũ*
endum quod bonum est: verbi *cõtineãt*
causa, proferendo in medium, va-
riisq; rationibus ostendendo ma- 1.
jestatem ac bonitatem divinam,
virtutis eminentiam, ac respondẽs 2.
ipsi præmium, peccati malitiam,
ac pœnam ipsi destinatam. Terti- 3.
um verò (quod tamen pauci ex
iis libellis cõtinent) est, dare formam
ac modum, quibus ad opus
deducere valeamus bona quæ illi
docent ac præcipiunt, quamq; ob
causam tam amplis verbis ad ea
nos invitent. Et, quemadmodum
initio Prologi ex D. Ambr: dictum
est, parum novit qui tertium
illud non novit. Itaque licet tria
hæc sint admodum necessaria, tertium
tamen, quodam modo, dici
potest magis necessarium: nam libri,
quos ut plurimum legere solent
qui Theologiæ operam non
dederunt, parum admodum de eo
tractant. Atque ita dici potest o-

mnes eos libros esse subobscuros, cùm non doceant quibus modis operari valeamus, etiam, si cætera omnia pertractent. Quid causæ fuerit cur id scribere omiserint, non nostrum est hic perscrutari: Credimus tamē illos variis justisq; causis ad id fuisse permotos, quæ id tunc expetebant. Nunc autem Deum collaudemus, quod in tam brevi Methodo, de re adeò necessaria nobis providerit. Vt ergo ad nostrum propositum revertamur, ostendamus librum hunc cæteris esse lucidiorem, ac veluti illorum interpretem, quod ex eo manifestum erit. Nam totus propemodū in hoc occupatur potissimum, ut Methodum tradat ac modum, quo moveantur Intellectus & Voluntas, ut homo intelligat, ac valeat in opus deducere sublimia illa, quibus pleni sunt prædicti libri. Rectè igitur consequitur, hūc esse illorū veluti interpretem seu declaratorem: quod re ipsa jam experti sunt complures, qui eum sibi

Libri hujus facilitatē & claritatē ostendit.

ſibi familiarem effecerunt, idéque experientur, quotquot illi ſe addixerint. Quòd ii adeò apertus non videatur, advertamus, rem adeò ſpiritualem, cujuſq; tam rarus ſit uſus, ſcribi nō poſſe verbis cuivis facilè patentibus, neq; quemquā poſſe adipiſci ſublimia, niſi magnis laboribus. Tandemq; lectorē certum reddimus, quòd is qui ſecutus fuerit documenta hujus methodi, è ſacro Evangelio deprompta, trimeſtri ſpatio, perfectius animam ſuam inſtituet, quò ad perfectum Dei amorem accedat, quàm longo admodum tempore poſſet efficere is, qui hoc libello ſeſe juvare negligeret: quum Deus ac Dominus noſter, varia ad hoc nobis dederit inſtrumenta, multaſq; vires ac potentias ut iis omnibus laboraremus, omnibuſq; illis juvaremur ad obtinēdam rem adeò ſublimem, quàm eſt, perfecta animæ diſpoſitio, requiſita ad Dei amorem.

Eundem ab inſigni utilitate cōmendat.

SECVN.

SECUNDUM DOCUMENTUM maxime necessarium, ait de fine & scopo, quibus moveri debemus ad operandum ea, quæ serviunt reparationi ac remedio animæ nostræ, imò quæcunque efficere decreverimus.

A fine opus accipit suam bonitatē.

ANte omnia, præ oculis habendus est finis qui nos movere debet ad agēdū, quod scitu admodum necessarium est, & omni momento inspiciendum: opus enim non amplius habet bonitatis, quā quod accipit à fine propter quem fit: qui si malus esset, & opus malum esset, etiam si ex se alioqui bonum foret. Quum itaq; Deus bonum sit infinitum, illud melius erit opus, quod purius factum erit illius intuitu. Pro cujus declaratione animadvertendū est, oportere servum Dei, qui Domino suo placere cupit, in anima sua validā plantare voluntatem seu habitum volendi, ex validis aut frequentibus

bus id volendi actionibus ingenitum: quæ voluntas, aut habitus ita innatus, ipsum moveat, ac sentire efficiat, quod quicquid corpore aut anima operatus fuerit, imo & virtutes quas procuraverit, una cũ hoc ipso animæ suæ remedio, omniq; sua devotione, õnia, inquã, hæc fiant, quoniam Deus illa vult, illa semper à nobis exquirit, estq; his omnibus ob suam infinitã bonitatem dignissimus, seu quoniam per hæc ducit sibi præstari obsequium, utque usitatioribus verbis exprimamus, ut his obsequiis gratum quippiam ipsi præstet. Dixit quondam servis ac discipulis suis divina illa majestas, quòd ob id ipsis loqueretur ut suum gaudium in ipsis esset. Hoc autem est Dei gaudium quod in nobis est, ut ibidem D. declarat Aug: quo dignatur gaudere de nobis, nempè, cum illi obsequimur ad ejus voluntatẽ. Porrò nullus modus ipsi adeò gratus est, quàm is quem modò diximus: nempe ut Dei servus adeò velit

Quid in omnibus actionibus nostris potissimum pro fine spectare debeamus?

Ioan. 15.

S. Aug.

velit id quod Deus vult: adeò desideret quicquid ipse est, aut potest omnibus suis viribus effundere in Dei obsequium, ut in quocũq; opere quod operatus fuerit, alium finem, qui ipsum in opus deducat, nullum sentiat, quàm velle placere ipsi Deo, sive ut rem gratam Deo faciat. Id inquam, significare volo, ut modo quodam, obliviscatur boni ac gloriæ, quæ ex opere virtutis ipsi accedere potest, solius Dei, qui hoc expetit, memor: & ob id solum operari velit, quoniam Deus id cupit, id jubet, & non sine magna causa, suâ bonitate expetit. Hæc omnia aliquo modo apertius percipi poterunt subsequenti paradigmate. Est quispiã ægrotans, qui sanitatis recuperandæ gratiâ, cibum aut medicamen aliquod expetit, nec solum expetit, sed & opere ipso procurat. Interim contingit, singularem quendam hujus amicum, majori premi ægritudine, atq; eodem cibo, aut medicamine, longè magis ege-

Declaratur id exemplo ægrotantis.

egere. Hic prior ille ægrotus, veluti suæ qualisqualis ægritudinis immemor, ac desiderij quod ad cibum vel medicamen sui ipsius gratia habuit, jam incipit id ipsū desiderare, ac procurare non sibi, sed illi amico, adeò, ut amor ad amicum, efficiat, ut id expetat ac exquirat, quòd illi sit necessarium, non ut suæ ipsius satisfaciat necessitati, sed amici necessitati, ita ut cùm per varia discurrens illud exquirit, sentiat in animo quoddam desiderium fervere, illud acquirēdi pro suo amico, tanquam oblitus quòd ipsemet illo indigeat, deinde illud assecutus, summè gaudet quod jam explebitur voluntas ac necessitas sui amici. Simile igitur esse debet id, quod servum Dei moveat ad omne desiderium & opus, simili omnino modo; nempe ut in anima sua sentiat instinctum, quo desideret & operetur bonum. Sit autem illud desiderium, quia Deus optat ut illud operemur, & per hoc ducit sibi præstari obsequiū,

ac

ac si sibi esset admodum necessarium, quasi penitus obliviscentes quod per has virtutes quas exquirimus, desideramus, aut operamur, consecuturi simus gloriam & salutem. Si quidem longè magis necessarius finis est, ideo operari quòd Deus velit ut illud operemur, & propter ejus bonitatem quæ nos cogit ad eum amandum, ipsiq́; serviendum, quàm ut bonũ & gloriã nobis ipsis possideamus. Optare enim debemus possidere bonum & gloriam, eò potissimum, quòd Deus cupiat nos illud desiderare & habere, & ut illa habendo amemus eum, ipsiq; modo sublimi serviamus, & nõ ob nostrum commodum, gaudium, vel gloriã. Est autem tãta Dei bonitas ac magnificentia, quod quantò amplius hoc modo taliq́; ratione concupiverimus & operati fuerimus, tantò amplius merebimur, tantoq́ue major erit nostra gloria. Quod nunc diximus, fortasse quibusdam difficile videbitur, sed inchoantibus

bus, talia apparēt cujusvis rei principia: judicant enim se non assecuturos id quod inchoant, sed tamdiu se in hujusmodi rebus exercent, ut per continuū exercitium magistri reddantur, ubi primum non audebāt se vocare discipulos. Et adverte quòd si quis voluntatē devotione accensam haberet, tāta felicitate hæc omnia operaretur, declarata breviter hac operandi ratione, ut minimo temporis spatio, summa exequi videretur. Verùm ei cui tanta devotionis inflāmatio non datur, notandum erit id quod nunc subijciemus, in quo distinctim tangitur modus aut ratio, quam ad id assequendum servare debemus. Ponat quisq; Deū tanquam summum sibi amicū ex parte una, se ipsum autē ex altera. Quando voluntas movetur ad cupiendum talem virtutem, aut tale opus bonum, consideret quisque quo fine moveatur, & videbit ut plurimū se metu pœnæ, aut amore gloriæ, seu virtutis moveri. Hoc moti-

Quâ methodo procedē-dum sit, ut quis juxta hæc præscripta operetur?

motivum, non satis nobis esse debet, etsi malum non sit, sed cùm voluntas, præsupposito divino auxilio, libera sit, ut uno relicto alterum eligat, prout sexto documento latius videbitur, cumque noverimus, præstantiorē esse, magisq; nos movere debere Dei voluntatem, quàm nostram propriã, faciat sibi quisq; vim, omittatque velle modo quo solet, & voluntatem eò transferat, ut idem meliori ratione velit, nempe quia Deus illud cupit, qui dignus est omni obsequio. O quam vilem se reputare deberet is, qui quidpiam operatur, vult, aut desiderat, motus quodãmodo naturali desiderio, etiamsi illud bonum sit ac virtuosum, cùm ipsius Dei desiderium aut voluntatem, semper præsentem habeat, quæ interiora nostra semper movere debet ad quippiam volendũ, potissimum cùm jam in nobis sitũ sit, ut omittentes nostrũ velle, quatenus excitatũ est à nostro veluti naturali, licet bono desiderio, illud

Sola Dei voluntate moveri debemus.

Insipiētia eorũ qui ad ea quæ naturali desiderio agũt promovētur.

illud assumamusc ac omnimo velimus, moti illo supercælesti desiderio. Sanè, horum scoporum seu motivorum, tantum est inter se discrimen, ut nulla mundi res à quavis alia tãtum differre valeat, quãtum unus horum scoporum seu motivorum ab altero. Adeò ut incomparabiliter unus altero magis præemineat, quàm sol omni suo splendore excedat splẽdorem minimæ candelæ; & mare, unà cum omnibus fluminibus, minimam aquæ guttulam; aut innumera auri talẽta, præ vase plumbi superemineãt, imò quàm omnium cœlorũ amplitudo unius avellanæ quantitatem excedat, quam hominis dignitas naturalis, super minimum lapidem excellat. Quanquã enim inter hominem & lapidem, majus sit discrimen quam inter omnia superiora, adhuc tamen magis inter se differunt prædicta duo motiva. Hîc enim magis appropinquatur ad infinitam distantiã, quã inter hominem & lapidem, quantumvis

Quãtum sit horum duorum motivorũ inter se discrimen?

tumvis

tumvis abjectum. Si quidem potissimum discrimen quod hominē à lapide differre facit, est, quòd ille possit operari tam excellenti motivo seu scopo. Et quoniam Angeli sunt tantæ naturalis excellentiæ, quòd facilius nobis illo motivo operari possunt, dixit
Psal. 8. Psalmista: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Hujus jam dictæ rei cōprobationes plurimæ addi posset: hæc tamen compendiosissima est, & quæ puto sufficere debet, quòd qui de hoc dubitaverit, magna diligētia procuret istud in opus deducere. Certò enim statim adeò clarè videbit, ut jam verbis illud probari non cupiat. Et qui in opus deducere noluerit, legat apud Doctores sanctos qui illud afferunt, & fortassis apud se hoc gustabit, siquidem brevitas hujus opusculi longiorem non fert hic probationem. Semper itaq; annitamur, ut cōtinuè desideremus ac operemur moti tam beato scopo sive motivo, cùm adeò ad id nos obliget divi-

divina illa ac ſuprema majeſtas, noſtræ ſublimitatis, ex ſola ſua bonitate ſitiētiſſima, quod ipſius deſiderium ſemper nos movere debet, & efficere, ut noſtra opera corporalia & ſpiritualia, magna & parva, à cor ore & anima, ita procedāt, illa, inquam, etiam opera, quæ juxta naturalem diſpoſitionē, quâ majeſtas illa nos cōpoſuit, operari debemus. Omnes enim illæ vires vel actiones, à minima uſq; ad maximam, ad conſervationem vitæ noſtræ naturalis deſeruiunt. Et quemadmodum illas relinquere non poſſumus, ita aſſumendo illas ex Dei amore, ad incrementum quoq; ſpiritualis vitæ plurimum faciunt. Atq; ita opus infinitū, quod præſtiterimus, coram oculis Dei, majoris erit dignitatis, quàm ſupremum opus ab illo præſtitum, qui talem ſcopum non habuerit. O rem miram & perpetua memoria dignam, quòd majoris ſit coram Deo dignitatis, cum ſcopo, ſive motivo, comedere

re

re, quam ſumpto alio, licet non malo ſcopo, nempe poſſidēdi cæleſtes delitias, aut eis gaudendi, jejunare, ſive aſperis corporis caſtigationibus ſanguinem effundere. Non quòd laudandū non ſit & bonum, cæleſtes optare delicias, ſed quòd tantùm præſtet ille ſcopus iſto motivo, quàm totus mundus unâ nuce avellanâ, imò & longè amplius. Vt autem hoc felici ſcopo ad opus moveamur, conducit plurimum, ut in hoc potiſſimùm intenti ſimus, ne unquam de uno opere ad aliud trāsferamur, nec aliquod opus inchoemus, donec ad illud nos eo fine moveri ſentiamus, quod exiſtimemus aut ſciamus, Deum velle ut illud faciamus. Opus autem voco, quemlibet motum corporis aut animæ. Pro quo, notandum eſt, quòd Deus, immēſo jubilo & deſiderio cupit poſſideri aut amari ab omnib9 hominib9, eadēq; volūtate cupit ut omni motu amoris, quē quovis vitæ noſtræ momento operamur, *illum* amemus

amemus & toties quoties ipsum amaverimus, aut aliud quippiã egerimus, operemur illud actu, attracti, ab hoc suo velle infinito. Quòd tantũdem significat, ut universalem regulã tradamus, quòd quandocunq; aliquid agere voluerimus, nũquam illud inchoemus, nisi conjectis primum in Deum oculis: quo aspectu contenti non simus, donec sentiamus, nos illud velle ob immensum gaudiũ, quod habet Deus de nostro recto opere. Quo viso, & sensibiliter cognito, quòd Deus sit dignissimus cui obediatur & serviatur, veluti tali, & isto modo, tanque sublimi, illi suæ voluntati connexi, ad opus deducamus, quod viderimus esse faciendũ tanquam omnis nostri boni obliti. Iustũ sanè est, ut superna illa voluntas ejus, qui creavit omnes volũtates, eam habeat præeminentiam & dominium in omnes voluntates, & non solum ei obediant in omni eo quòd mandaverit, verum etiã, ut quicquid egerimus, illud

Regula universalis quãdo operis aliquid inchoaturi sumus.

illud faciamus, tanquam obliti de adimplenda nostra propria volũtate, & adipiscenda nostra gloria, sed ut in hoc, & in illo, divina illa volũtas perfectè adimpleatur, absque alio respectu. Et quoniam cogitatio multas acquirẽdi divitias, efficit, ut homo se frustratum inveniat, cum advertit illas se non assecutum, expedit ut similiter consideremus (ne quis de se amplius præsumat quã habeat) quòd multi putãtes se assecutos esse, aut sensisse prædictum animi motivum, existimarũt se magna opera peragere, & tandem repererunt parva admodum esse, facile enim invicẽ se compatiuntur ut quis ad bona inclinatus, grãdiaq; ac vera bona appetens, & Deo gratus, seu in statu gratiæ existens, considerans sublimitatẽ quæ cõsistit in amãdo Deum, habeat accensum desiderium perfectè habẽdi talem am rẽ, cum tamen suum hoc desiderium opus perfectum non sit. Nam etsi desiderium de re perfecta sit, non tamen

tamen illud desiderium opus perfectum erit, si desit perfectum animi motivum, nempe ut procedat nostrum desiderium à magna voluntate, quæ nos efficiat velle ac desiderare talem amorē, eò quòd Deus vult ut illum habeamus ad nostram exaltationem, quam plurimum concupiscit. Id ipsum autem quod dictum est de hoc bono desiderio, similiter dici potest & debet de multis, qui magno ferūtur zelo ad salutem animarum, aut bonum reip: in qua agunt, quiq; beatitudines illas possident, quas tradit Redemptor noster de fame ac siti justitiæ, & plorant ob mala quæ vident, aut sciunt esse in mundo: quæ omnia etsi bona sunt, possunt tamen abjecta esse, plurimūq; à perfectione deficere, quemadmodum de prædicto desiderio amoris divini nunc declaratum est. Quare, prompti esse debemus, & in hoc attenti, ut in omnibus prædictis rebus, moveamus actu voluntatem ad operandum illo ani-

mi motivo quod nunc daclaravimus. Et quod de operibus illis dictum est, similiter intellig debet & exerceri, in universis ac innumeris motibus qui sese animæ offerunt, cujuscũq; sint generis, imò & resistendo cuicunq; tentationi. Adeò enim nobis procurandũ est, ut Dei voluntas in nostra regnet, ut jam nihil ex nostra sola oriatur, sed perfectius ex ea quæ Dei est, quæ in nostra dominetur, quẽadmodum frequẽter declaravimus. Magnam sentiẽt difficultatẽ hujus Methodi iter inchoantes, donec assequãtur tam sublime animi motivum, atq; eximium operãdi modum qui dictus est, & multis fortasse diebus, videbunt se non plenè illud assecutos: ne tamen studium remittãt, seu conatum, sed advertant plurimos mundanos etiã diutiùs laborare ut res viles acquirant, quas tandem frequenter non assequuntur: nos autem donũ hoc certo assequemur, modo illud ex intima humilitate procuremus, per-

perseverantes, nosq; ad id juvantes iis, quæ in sequentibus documentis traduntur. Sed graviter se ipsum debet reprehendere, qui existimaverit, alicuius esse dignitatis, æstimationis, aut pretii, quòd observet ea quæ in ipsis continentur, cum advertit magnitudinem præmii quod ipsi inde promittitur, nempe per hæc obtinere prædictum animi motivum. Ex pedire autem judico, ut omnes præmoneam quòd sub initiis interdum contingat aliqua tepiditas in eo, qui tam sublimi modo sua opera dirigit, propter solum Deum illa operando, poteritq; admirari quod assumpto modo sublimiori minus devotionis sentiat: quemadmodum mirari posset, qui ad ignem accedens magis se frigefieri sẽtiret. Et quoniã æquum est, ut huic etiam difficultati provideamus, advertẽdum est: quòd quisquis hujus causam consideraverit, videbit necessum esse ut ea tepiditas nos sequatur: nec tamen

Quid agẽdum cum in hoc exercitio tepiditas aliqua nos obruit.

ideo minoris esse meriti opera nostra: itaq; ad hujus declarationem notabimus, hujus tepiditatis causam esse, quòd jam operemur, nec amemus ob nostrũ proprium bonum, quemadmodum solemus, nobisque naturale est. Operantes autem non ex solo Dei amore, à nobis veluti removemus radicem, unde communiter ac naturaliter obvenire solet omne gaudium; omittentes videlicet proprium nostrum bonum ac requiem. & alienum bonum assumentes, nempe Dei gloriam, pro requie ac fine nostrorum laborum: quæ cùm res sit supernaturalis, nobisque adeo insolita, non mirum, si magnum adferat laborem efficere hujus modi mutationem. Vnde, ex prædicto gaudio, nobis provenit hæc tepiditas ac frigiditas: donec multùm assueti simus sentire & appretiari, æstimare, amare, longeque pluris facere Dei gloriam quam nostram, eamque longè magis pro nostra ducere, quàm

Tepiditatis hujus quæ sit causa?

quàm ipsam nostram propriam, tanquam rem, quàm multò magis amamus. Hoc ubi probè adepti fuerimus, pertingemus ad ignem, qui tepiditatem aut frigiditatem non recipit, & præterea longè majus erit nostrum meritum: quod longè apertius fiet, ubi viderimus ea, quæ in subsequentibus continentur, post medium quarti capitis, secundæ partis hujus opusculi, de oratione.

Objectio.

Nunc itaque, cognito fine propter quem operari nos oporteat, posset quis adversus dicta moveri admiratione, quòd cùm scriptura sacra, potissimum evangelica, sit adeò perfecta, non tamen videtur continuè hunc finem proponere, cùm aliquid admonet, jubet, aut prohibet: sed ut plurimum vel pœnas comminatur, aut invitat propositâ gloriâ. Pro quo advertendum est, quod quemadmodum Dei Filius, Dominus ac redemptor noster à quo promanavit doctrina nostra evangelica, cùm in seipso

Cur evangelica doctrina sublimem hūc finē

Cur non sẽper nobis propo-nat?

ſeipſo perfectiſſimus eſſet, frequenter in ſua perſona ſuſcepit ea, quæ fragilitatis aut infirmitatis noſtræ erant, quò noſtræ fragilitati condeſcenderet: quemadmodum dum fugit, ſeſe occultavit: & quaſi mortem metuens, pavére ac tædere cœpit, aliaq́; ſimilia fecit, prout oſtendunt ſacra Evangelia: ita quoque voluit, ut ipſius doctrina, talibus verbis ſcriberetur, qualia requirebat noſtra abjecta conditio ac fragilitas operantium, qui, majori ex parte, movendi erant ad operandum ſpe gloriæ, aut metu pœnæ, præſuppoſita poſt peccatum humana corruptione. Simul tamen annotare debemus, quòd quemadmodum redemptor ac ſervator noſter Chriſtus, infirmitates illas, cum ſumma perfectione & charitate ſuſcepit: ita vir perfectus, doctrinam evangelicam audiet, & juxta illam operabitur: motus quidem minis ac promiſſionibus, quæ in illa continentur, hoc tamen ipſi continget, abſque

Marc. 14

ullo

ullo datrimento perfecti modi operandi, de quo tam multa hoc documento diximus. De quo si quis dubitaverit, aut putaverit hæc non posse invicem se compati, poterit id perspicere verum esse, ubi declaratum fuerit quo pacto modus ille perfectus, stare possit simul cum eo sacræ scripturæ loco, quo redemptor noster pœnis inferni nos terret: nam eo modo, quo istud intellectum fuerit, parebit quicquid in eum modum alio loco legerimus. Dicit Christus in sacro Evangelio, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* In quibus verbis continetur unum præceptum sanctumve consilium, additis & minis; in quibus minis, duo considerari possunt. Primum est, pœna quæ nobis comminatur; alterum, voluntas qua Deus minatur; & hæc est voluntas ut illi serviamus, & non pereamus. Verus Dei servus, illi præcepto debet obedire, non quò pœnam evadat, sed quod Dominus Deus,

Luc. 13. Præcepta illa sive consilia quæ minas continent quomodo accipienda sint, & sublimi huic fini nihil ob sint.

qui com minatur, cupit ac vult ut pœnitentiam agamus, nec in eam pœnam incidamus. Memor ergo, quod Deus desiderat ut ipsi serviamus, nec in tantum malum incidamus, quasi damni suæ pœuæ oblitus, agit pœnitentiam. Iste itaq; illâ perfectione operatur, motus tamen comminationibus Sacræ Scripturæ. Et ita continet Scriptura summam suam perfectionem, etiamsi simul habeat quod infirmitatis ac fragilitatis esse videtur, ut & fragilibus serviat, illosq; moveat ad operandum, prout sua fragilitas expostulat. Quod autem in hunc modum intelligenda & recipienda sint promissa & minæ sacri Evangelii, satis ostenditur maximo mãdato omnibus proposito, quo præcipitur ut amemus Deum ex toto corde nostro ac viribus: quod non satis adimplet is, qui non in Deum impendit omnes vires quas habet, ut ipsi serviat, utque & gloriam cœlestem desideret, & pœnam gehennæ abominetur

Mat. 27.

Quomodo quis possit perfectè implere sũ-

tur, tam illud desiderando, quàm istud abominando, eo modo quo jam diximus: nempe, ut postremus utriusque finis sit, adimpletio Divinæ, voluntatis, & ejus obsequium ac gloria: siquidem serviendo ipsi, & obtinendo cælestem gloriam, evadendoque gehennæ pœnam, eò pervenimus, ut perfectè adimpleamus summum illud de Dei amore præceptum, quod semper transgrederemur transmissi ad pœnam perpetuam. Vidimus itaque causam, cur sanctum Evangelium, illo modo præcipiendi ac comminandi vtatur, dum omnes communiter alloquitur, tam fortes, quam fragiles & imperfectos. Sed quoniam hic noster tractatus majori ex parte dirigitur, non ad eos, qui adeò infirmi sunt ac debiles, ut eis magno oneri sit, vel ipsa Dei præcepta adimplere, sed iis potius quibus leve videtur Domini onus, & jugum suave, quique summè appetunt illum sequi, assumendo summum

mum illud de Deo dilig̃edo mādatum.

mum perfectionis modum, idcirco, ut plurimum procedit absque comminationibus aut promissis, sed passim attingendo supremum illum finem qui Deus est, in quo, ut diximus, adeò fixum debet esse cor nostrum, ut nihil appetamus aut metuamus, nisi quod nos adducit vel abducit ab eo, quod ille vult ut nos appetamus aut metuamus: idque quia ipse cupit: quod ipsum, latius postea declarabitur primò tertiæ partis capite.

III. DOCVMENTVM.

De duplici modo serviendi Deo, & quantum deceat, omnes, potissimum tamen personas Religionem aliquam professas, ut secundo, hoc est, sublimiori modo, Deo obsequantur.

TErtio loco animadvertendum est ei, qui tam sublimi & excelso Domino servire cupit, quot modis contingat ipsi serviri, ut hoc

hoc cognitio, eligere valeat eum qui illi sit gratior. Cum autem idem Dominus ac doctor æternæ Sapientiæ, adolescenti cuidam cupienti id ab eo discere, declaraverit, duplicem esse hunc modum, non est quòd super hac re longiùs disceptemus. Primus itaque modus consistit in observandis Dei præceptis. Secundus autem, ut qui perfectus Dei servus fieri cupit, relictis omnibus quæ mundi sunt, sequatur vestigia divinæ illius majestatis, quæ reliquit vivus in terris; cujus sacra vita multis exercitiis deducebatur, & per graves labores; non quòd sanctissima ac regia illa persona ipsis indigeret, sed quia singula illa exercitia, plurimùm nostra referebat imitari: voluit servus fieri, ut nos servire doceret. In plurimis autem rebus servivit, ut intelligeremus, quam exercitata, & exacta in omni virtute esse debeat illius anima, qui tanto domino probè obsequi cupit, illumq; amare. Annotandum

Math. 9. *Duplex modus serviendi Deo. Primus mãdatorum. Secundus consiliorum.*

tandum est autem, quòd etsi Deus ac Dominus noster in hominum libertate & comitate reliquerit, non necessariò obligando ut secundo modo hic posito ipsi servirent, ad id tamen omnes obligantur, nisi abjecti & incircũspecti esse malint. Omnibus siquidem positum est magnum illud mandatum de amando Deo toto corde, omnibusque viribus. Quòd si reprehensione dignus judicaretur, qui ad aliquem locum accederet, intentione quippiam necessarium, aut admodum utile in opus deducendi, si illo relicto in alia quavis re abjecta sese occuparet, longè magis culpandus, qui ad hoc natus in hunc mundum (quod nobis omnibus convenit) ut omnibus viribus semper serviat summo Deo, hujus servitij dignissimo, & in quo tanta est utilitas, illud tamen ipsum omittit, eò quòd ipsi sub pœna mortis id non præcipiat, occupatus interim in abjecto ejus servitio, mixto mundanæ vanitati

Omnes homines ad serviendũ Deo sublimiori modo invitantur.

Simile quo illorũ reprehenditur negligentia qui Deo perfectiori modo servire non conãtur.

quæ

quæ velocissimè transit, & plurimumque mali adfert. Quòd si omnes culpandi sint Deo non servientes illo secundo modo, juxta cujusque statum & conditionem, longè magis religiosi, qui mundo relicto, jam illud inceperunt, feceruntque se quodammodo familiares in domo & mensa Dei, id continuare debent, operando quod perfectius est, imitando filij Dei vestigia; qui (ut habet D. Bern.) non contenti solis præceptis, semper scrutari debent, & ex iis quæ de verbis divinis, & conditione divina noverunt, investigare quid Deus velit, quidve illi magis gratum sit ut agamus, & ad hæc dati sunt nobis intellectus & appetitus, ut semper magna perquiramus & scrutemur. Quum autem in hoc documento agamus de duobus his serviendi modis, ut illum eligamus qui gratior est altissimo regi, brevibus ac usitatis verbis declaremus sententiam, quam redemptor noster intendit, dum

Religiosi multò magis quam alij Deo perfectissimè servire tenentur.

dum secundum serviendi modum tradens, ait: *Veni, sequere me*; ubi videtur omnibus & cuilibet nostrum dicere; ut quicquid ad nostram doctrinā scriptum est compleamus: non solùm operantes cum amore, sed ex amore, sive propter amorem. Hæc enim vestigia sunt quæ ille jubet ut sequamur. Proinde non satis est aliquid adimplere ejus quod ibi scriptum est, sed totum complendum est. Nec satis est ad bene serviendum operari cum amore, sive comitante amore: sed opus est ut fiat cum amore, & propter amorem. Cum amore servit exoletus, aut minister, qui amat quidem dominum suum, non tamen propter amorem id facit, quando illi non serviret, nisi mercedem ab ipso expectaret: serviret autem illi cum amore & propter amorem, si ob id solum serviret, quod talis Dominus cupit, & gratum habet tale ejus obsequium: & quia diligit bonitatem ac societatem talis sui Domini

Matt. 19

Quid sit servire ob amorem?

mini, abſque ullo alio reſpectu. Hujuſmodi verum obſequium eſt, quod à ſupremo Domino ac magiſtro diſcere debemus, qui, ut novimus, pro nobis ſervire voluit: ex quo ſervitio, & ipſe aſſecutus eſt univerſale dominium, & nobis continget regnum perpetuum. Quòd autem verba illa: *Veni, ſequere me*, ſignificent, ut adimpleamus cum amore & propter amorem, quicquid ſcriptum eſt ut faciamus, facilè perſpiciet qui aliquid dijudicare novit. Siquidem Chriſtum ſequi, eſt, operari, quod ipſe ad noſtram doctrinam operatus eſt, & eo modo quo ille operatus eſt. Ipſe autem indubiè omnia cum amore & propter amorem operatus eſt, cùm ſublimior ſit ille modus: quod & nos facere poſſumus, quanquam non tam perfecte quàm ipſe. Cumque ita ſit, nequaquam nobis dicendum eſt, quòd juſſerit Dominus tantum ut in operando ipſum ſequamur, & non in modo operandi: cùm parum

Quid ſit Chriſtum ſequi.

parum admodum profit ipſum o-
perari, ſi deſit modus ille jam di-
ctus & declaratus operandi, nem-
pe, ut operemur cum amore & ex
amore. Neque enim de tam ſubli-
mi præceptore, tamque liberali,
& magnifico Domino ſuſpican-
dum eſt, quòd parvæ utilitatis
doctrinam nobis tradiderit. Qua-
propter, cùm prior horum modo-
rum clarus ſit, qui & è ſuggeſtu &
alibi indies traditur, quo pacto vi-
delicet ita Deo ſerviatur, de ſecun-
do potiſſimùm modò, tanquam
perfectiori minuſque vulgari, &
rariùs per documenta declarato,
nunc artem tradimus, quæ etiam
abundè omnibus prodeſſe poterit.
Quapropter rurſum exhortamur
omnes qui tam ſublimem adeoq;
utilem artem addiſcere cupiunt,
ut animadvertant, quòd ſi ad hu-
miles & abjectas hujus mundi ar-
tes addiſcendas, neceſſarij ſunt in-
ſtructores, qui eas doceant, ad
hanc longè magis erunt neceſſarij:
qui ſi non adeo perfecti poſſint
haberi

haberi, supplere debet exacta discipulorum diligentias quod illi deest. Super omni autem, docebit in omnibus Spairitus sancti unctio.

IV. DOCVMENTVM:

Quo præ oculis ponitur strages in anima per peccatum facta: unde processit, ut sit adeò difficile Deo sublimi modo servire, ad quod tamen nati eramus.

QUartò graviter animadvertendum est, ut tanto domino servire cupientes, consideremus, qua dispositione constituti simus, ut cuivis defectui in nobis ritè provideamus. Annotabimus ergo, quod omne malum, quo impedimur, ne Deo sublimi modo serviamus, à peccato provenit, quod animam debilitavit, & ad malum convertit. Nam si illud non intervenisset, magna felicitate quodvis bonum operaremur: *Quātam strāgē in anima fecerit peccatum?*

acce-

accedente verò peccato, in tantum dissoluta sunt nostra desideria, appetitus, ac voluntates, gravi infirmitate spirituali ab hoc peccato emanante, ut jam, veluti fastidiosi, vix aliud quippiam amemus aut desideremus, quam abjecta, damnosa ac vitiosa, bono infinito. ad quod conditi sumus, oblivioni tradito, tanquam re in qua jam gratum saporem non percipimus. Atq; hinc provenit animæ confusio ac perturbatio, quam in nobis sentimus, in tantum distracti ab eo ad quod conditi sumus, ut bono relicto, semper inclinemur ad malum. Summoperè tamen considerandum est, quod etiam si in nobis contigerit tantæ ægritudinis strages, non aufertur tamen ob id obligatio ea peragendi, quæ debemus, & ad quæ in hunc mundum venimus. Nam etsi ex dicta jam infirmitate qua detinemur difficilius sit nobis operari, non tamen adeo, ut omnino impotentes nos reddat, præsupposita divina, nobis

bis favente misericordia, cujus auxilio reparari potest nostra perditio. Præterea animadvertendum est, quòd eò magis accedit quis ad egregiam illam dispositionem, quæ ad serviendum Deo exigitur, quæq; fuisset in anima ad omnia, nisi illa peccasset, quo magis reparatas ac dispositas habet appetitiones & desideria, per peccatum, ut jam visum est, prius indisposita. Is autem hæc reparata habebit, qui attentissimo studio profundaque consideratione eorum quæ dicturi sumus, hæc omnia ad Dominũ Deum nostrum direxerit, repugnas omnibus quæ extra hujus domini voluntatem concupiscit; amplectens autem sequens omnia remedia, quæ invenire poterit, seu quæ hic dicentur. Eo verò gradu, quo quisque id obtinuerit, in eo sublimabitur hic virtute ac sanctitate, & postea gloriâ. In tantum autem posset quis in his proficere, quòd eam propemodum obtineret felicitatem, ad

Quæ dispositio requiratur in anima ut Deo perfectissimè servire possit.

ad operandum cum magna delectatione, quam in ſtatu innocentiæ habuiſſet, quemadmodū nonnullos ſanctorum credimus obtinuiſſe. Quæ verò nobis agenda ſint ut iſtud obtineamus, hic tractandum eſt, quantum Dominus ad id adjuverit. Debent autem hæc frequenter & attentiſſimè legi. Semel enim aut iterum perlegere non magis prodeſſet, quàm ei qui dialectices ignarus eſt, prodeſſet, ſemel aut iterum curſim librum perlegere, qui eam artem traderet.

V. DOCVMENTVM.

D. . nſtrumentis tum in corpore, tum in anima, ad obtinendam hanc reparationem nobis traditis, quāquam tamen omnis ſanctitas in hoc potiſsimum conſiſtat, ut quis continue operetur his quæ in anima conſiſtunt.

Quin-

QUintò itaque animadvertendum eſt, quòd ſicut corpus habemus, & animam, ita in utroq; horum inſtrumenta habeamus quibus operemur. Siquidem corpus pedes habet ad ambulandum, manus ad quidvis operandum, linguam ad loquendum, & ita de cæteris. Anima verò habet intellectum quo cognoſcat, voluntatem qua velit, variaſque ſimiliter appetendi vires. Eſt autem notandum, quòd quo ſublimior eſt operans una cum inſtrumento, eo ſublimius eſt & opus, modo cætera ad actum concurrentia ſint paria. Corporalia quidem opera tantò plus habent excellentiæ, quantò excellentius eſt animæ inſtrumentum quod ad actum concurrit. Dicitur autem egregium inſtrumentum, quod ad actus productionem movetur bono fine; quare excellentiſſima inſtrumenta ſunt intellectus & voluntas, quæ poſſunt à ſolo Deo moveri: veluti ſecundo documento

Quæ ſint inſtrumẽta animæ quibus operatur.

mento diximus. Parvi itaq; æstimanda sunt corporalia, quæ ita non proficiscuntur. Et hoc est quod volebat D. Paulus, cùm ad Timotheum scriberet, corporalem exercitationem ad modicum esse utilem. Porrò animæ actiones, alterius sunt generis, nempe quòd ex se possunt magnæ esse utilitatis: Veluti si quis intellectu se exerceat, considerando quantæ abjectionis sint honores hujus mundi: quantæ autem sublimitatis sit quod Deus præcipit, aut ipsius gloria: item ut cognoscat quo pacto moderari debeat passiones, juxta id quod dicturi sumus nono secundæ partis capite. Rursum voluntate, amando quicquid bonum esse novit, & refutando quod vanum est. Hujusmodi enim voluntatis refutationes, magnæ essent utilitatis, etiam si corpus veluti otiosum quiesceret: nam ex talibus exercitiis, producerentur excellentes habitus, maliquè corrumperentur, quod ex se pluri-

1. Tim. 4.

Animæ actiones quā sint utiles & eximiæ.

plurimum laudandum est, etiam si fiat id solius virtutis amore, quemadmodum, faciebant philosophi: magis tamen in Christiano, qui fidem habet: longè autem amplius, si in quolibet opere, juncta fide, intentionem actu in Deum dirigamus, quemadmodum toto secundo documento declaratum est. Unde annotandum est, quantum habeat quis se exercere in actionibus animæ: quod efficere potest, sive corpore sit occupatus, sive non, quovis tempore & loco, adeò, ut etiam cum altero de temporali negotio colloquendo possis per animam operari, amando Deum, recordatus seu recogitans aliquod opus ipsius. Grave fortasse istud videbitur ei, qui hujus rei habitum nondum assecutus est; assuetudo tamen illud facilè efficiet, etiamsi non sine difficultate ac labore quispiam assequatur hujusmodi consuetudinem. Verum propterea dici solet, quòd virtus circa difficile versatur. Toties

Animæ actiones semper etiã cum aliis conversando exerceri possunt.

voluntatis tibi vim quandam ingeres, ut artifex industrius reddaris ad multa operandum, eaque grandia, etiam cum felicitate. Quòd si id non tentes, non est quod admireris, aut dicas, te non posse Deo magis esse devotum; cum, ut sexto documento tradetur, in manu tua sit, præsupposito Dei auxilio, quicquid libuerit velle aut nolle, quoties placuerit. Adverte autem quod si in terra id assequi cupias, ut magnus Dei amicus aut servus esse valeas, tanto magis id assequeris quantò magis ac magis assiduè omni hora ac loco, instrumentis animæ, ut dictum est, operatus fueris. Atque id est, quod Sanctos in cælo tanta gloria sublimavit, hujusque defectus adeò reprehensibiles in terra efficit. Cum igitur in hoc tanta ex parte consistat nostra sublimitas, ut animæ instrumentis operemur, nostraque dejectio in hujus exercitij negligentia, opere pretium erit tradere,

qua ratione nos ad id utemur, qui hactenus veluti exanimes fuimus, quo ad operationem quæ animæ fieret instrumentis. Utque ab intellectu inchoemus, relicta voluntate in sequens documentum, præmittemus regulam quandam Theologicam ac Philosophicam, tanquam fundamentalem, nempe quòd naturalis noster appetitus illud naturaliter desiderat, ad quod inclinatur, quodque suave ipsi videtur; tale inquam, ad quod desiderandum non ei opus est alio invitante aut auxiliante, quin potius illud necessariò, aut quasi coactè desiderat. Non sic autem operatur voluntas, sed primum consultat illud cum ratione, cumque ostensum fuerit ei conveniens esse, liberè movetur ut illud velit. Quam ob causam, dixit etiam Philosophus, nihil esse volitum nisi præcognitum. Unde colligimus rei cognitionem quam in intellectu habemus, esse vice luminis, ut videat voluntas quo pacto

Naturalis appetitus noster quid potissimũ desiderat?

Voluntas nostra quomodo operetur.

pacto moveri debeat ad volendum. Hoc itaque præsupposito, summoperè advertendum est, quod ad hoc ut benè, imò & perfectè operemur, necessum est providere, ne in cognitione erret intellectus; quo habito statim moveatur voluntas ad volendum id quod totaliter cognitum est. Si autem erret intellectus, quod frequenter contingit ex malitia, quæ nos excœcat: aut non errat fortassis intellectus, sed voluntas ea qua est libertate, non vult sequi quod novit esse bonum, & hinc incidit homo in omne malum.

Intellectu in omnibus actionibus virtutis quo modo uti possumus?

Omissis autem multis quæ hac in re dici possent, ac deberent, quod potissimum servit, præsenti operi est, ut semper in hoc maxime simus attenti, dum intellectu uti cupimus, ut cum opus aliquod virtutis, aut quod nos ad virtutem disponit velle optamus, puta despici ab hominibus, fugere omnes delectationes, quas viri quique egregij abhorruerunt, in his cæterisque

risque omnibus, quæ nobis graves ad operandum, aut etiam ad volendum apparent, statim intellectus operatio accedat, qua illas consideret, & apprehendat tanquam pretiosissimas, Deoque gratissimas, quæ & nobis vitam promereantur perpetuam, quemadmodum secundo capite secundæ partis declarabitur, ut ubi tales esse cognoverit, ipsa voluntas animum assumat, quo ad illas volendum & amplectendum moveatur, in opus illas deducendo. Quanquam enim voluntas ipsa operetur libertate, frequenter tamen rei quæ offertur difficultate aut asperitate deterrita, omittit operari; & ita delinquit omittens id ad quod tenetur: si verò annitamur ipsi per intellectum, modo quo prædictum, est, viam sternere, tantum suscipiet animum ut cognita operis, etiam pœnalis, excellentia, velit illud: tantaque propemodum facilitate operetur, quàm id quod naturaliter exoptat.

ptat. Qui ea ratione operaretur, facilè fieret magnæ virtutis, ac reparatam haberet magnam partem ſtragis, quæ per peccatum in anima facta eſt, magnaque facilitate operaretur, quod in cœlō & in terra facit eſſe beatos, nempe quod magnalia Dei ex parte cognoſceret, eaque amando de iis gauderet, quemadmodum ex parte dictum eſt, & amplius in ſequentibus dicetur.

VI. DOCUMENTUM.

De poteſtate in nobis poſita operandi ſupremo animæ inſtrumento, nempe voluntate, qua poßumus velle & amare, aut nolle nec amare, quamcunque rem, idque quoties libuerit, eademque voluntate operi noſtro finem præſcribere qui placuerit. In omnibus tamen his præſupponimus divinum adjutorium quod hujuſmodi Dei ſervis ſemper eſt paratum.

Sextum

SExtum hoc documentum plurimum notandum eſt, pleneq́ue cognoſcendum & intelligendum, tanquam præcipuum fundamentum omnium quæ dicenda ſunt, ac totius vitæ ſpiritualis; continetque canonem admodum memorandum, fundatum in libertate liberi arbitrii, declarantem quid voluntate poſſimus operari, & ita à profundo ſomno animam excitantem. Præſupponit tamen in omnibus divinum auxilium, quod non deeſt fidelibus, ſine quo ne cogitare quidem poſſumus, ut habet D. Paulus, quicquam ſaluti noſtræ expediens, quantò minus velle aut operari. *2. Cor. 3.* Hoc itaque præſuppoſito, eſt in cujuſq́ue poteſtate, appetere, aut appetitum relinquere cujuſvis rei, quæ judicata fuerit appetenda aut non appetenda; idque hoc aut illo fine, & toties quoties libuerit. *In volun-tate no-ſtra poſi-tum ali-quid ap-petere vel non appetere.* Hujus in una quapiam re ponatur exemplum, ut & in reliquis idem fiat manifeſtum. Ut homo quiſpiam

Declamatur id exemplo. parvi reputetur, res eſt, quæ appeti poteſt à quocunque homine, etiamſi quibuſdam difficile ſit ſe inclinare ad id appetendum. Poteſt quoque variis finibus id appeti, & ex his eligi quem quiſque prætulerit. Poteſt enim quiſpiam id appetere, ut animi modeſtiam eo pacto aſſequatur; qui bonus finis eſt. Rurſum, ut in aliquo ſimilis efficiatur Vnigenito Dei Filio, qui pro nobis deſpectus fuit; & hic melior finis eſt. Ad hæc poteſt quis id appetere, quò per hanc abjectionem ad hoc diſponatur, ut Deus in ipſo gratum inveniat obſequium, per charitatem & amorem perfectum, & hic adhuc ſublimior finis eſt. Nunc contrà ponamus exemplum de relinquendo rei appetitu. Poteſt quiſque omittere appetitum, hoc eſt, non appetere æſtimari, aut ſingulariter amari, ſeu nolle æſtimari, idque eiſdem finibus quos jam diximus, etiamſi ex naturæ corruptione inclinetur ad hoc, ut cupiat ſum-

at summè æstimari, aut reputari. Similiter hoc adverte, quòd quemadmodum est in cujusque potestate quippiam appetere, vel quod appetebat relinquere, ita est in ejus potestate toties id actu efficere, quoties libuerit in die, aut breviori temporis spatio: & quantò sæpius voluntatem inclinaverit ad appetendum, aut relinquendum quod appetebat, ut dictum est, tantò citiùs vitiosos habitus corrumpet, ac generabit virtuosos. Et præterea in singulis volūtatis ad hæc inclinationibus, est singulare meritum, modò talis inclinatio fiat ad placendum Deo, prout secundo documento dictum est Ad majorem autem dictorum elucidationem, notabimus, quòd producere actum appetendi id quod naturaliter horremus, fit, quando considerantes, quòd Deo servitur, ex eo quòd illud appetamus, inclinamus voluntatem, vim quodam modo illi facientes, ut illud appetat; quemadmodum

Quo frequentius voluntas se ad appetenda aut relinquenda quæ appetebat inclinat, eò citius habitus vitiosi eradicātur, & virtuosi generantur.

æger potionem amaram appetit, eò quòd sanitatem adfert, quam tamen naturaliter abhorret. Actus autem non appetendi id quod naturaliter exoptamus est, dum considerantes illud Deo non esse gratum, neque nobis utile, inclinamus, quodam modo cogendo voluntatem, ut illlud non appetat. Erit autem verè non appetere, etiamsi remaneat quædam sensualitatis repugnantia; quemadmodum in ægro contingit, qui non vult edere cibum cujus tamen habet appetitum, eò quòd ipsi nocivus sit, estque admodum utile nolle illum edere, etiamsi non tollatur inordinatus ejus appetitus. Et ita dictum est quod virtutum actus producere possumus quoties libuerit. Est autem notandum, quòd præter continuum studium, quod in nobis esse debet voluntatem exercendi, ad appetendum bona quæ desideranda sunt à nobis, & ad omittendum appetitum malorum, quo, malis habi-

Actus appetendi vel nõ appetendi quomodo producantur?

habitibus eradicatis, plantemus bonos, conducit etiam plurimùm ut frequentiſſimè utamur præſenti documento, quo primos illos motus cohibeamus, qui etiam viros virtuti plurimùm deditos impugnant: aut eos in quibus longiùs diſtinemur, ſeu etiam interdum conſentimus, cum motus, opus, aut cogitatus verſentur in materia peccati venialis: quemadmodum delectari ut in aliqua ſint æſtimatione facta aut dicta noſtra, aut aliorum, quibus mundi ſive carnis ratione afficimur, aut contriſtari ſeu dolere de contrario, nempe de injuriis, aut aliorum à nobis averſionibus. In quibus omnibus, etſi nos detineri aut conſentire non ſit mortale, tantum tamen adfert damnum, quantum novit qui Deum ex animo quærit. Inde enim anima obtunditur, & aggravatur ad omnia quæ agenda ſunt. Qui ergo cupit ſuorum actuum ſemper eſſe dominus, ac potens, ut facilè bene operetur,

Primis motibus reſiſtendum.

debet primo motui per voluntatem statim resistere, appetendo injurias, labores, molestias, ac contemptum, sive quamcunque contradictionem, quæ sese obtulerit, adversando tali appetitu doloris, qui primo motu sese offeret ob hujusmodi injurias, aliaque similia, quæ jam diximus. Et contrà, conversi ad honores, hominum favores, aliaque suavia ac delectabilia, quibus sese statim adjunget motus complacentiæ, parati esse debemus ut voluntate actum producamus non appetendi similia, quæ naturaliter concupiscimus. Siquidem ita agendo primùm vanitatem ac peccatum evitabimus, idque sæpius agendo obtinebimus excellentes habitus, expulsis malis. Et in hoc consistit clavis totius nostræ reparationis. Notandum est præterea, quod frequenter, ob malos habitus & consuetudines, difficile reddetur appetere bonum, aut non appetere malum, vel hunc assumere finem

In quo consistat clavis nostræ reparationi.

nem illo relicto: sed nihilominus prout jam dictum est, id tandem situm est in nostra potestate, etiamsi initio tam debiles actus producantur, ut videantur necesse appetere: nec non esse appetere: non tamen ob id omittere debet, quis hujusmodi actus producere, paulatim enim majorem vim accipiunt: & etiam cum adeò debiles judicantur, non parvum adferunt animæ meritum. Scio quicquid istud est, initio nihil propemodum apparebit: verùm prima Grammatices principia aggredienti, si unicum nomen discat per casus inflectere, videbitur propemodum nihil effectum esse, attamen si alterum ac tertium, & ita paulatim addiscat in fine anni loquetur, ac intelliget fermè omnia, longeque magis post secundum annum, & ita paulatim perfectus efficitur grammaticus. Sed advertendum, quòd talis, quolibet die dat Grammaticæ operam idque multis horis, magno conatu & studio

Non sunt relinquendi hujuscemodi actus voluntatis eò quod parvum nobis profectũ facere videamur.

ſtudio memoriæ ſive intellectûs, & eſt totus hujuſmodi conatus ad illud neceſſarius; quantò magis id neceſſarium eſt in ſumma hac arte, qua diſcimus Chriſto ſervire, ad quod non unicum habitum, ſed multos aſſequi oportet; nempe habitum charitatis Dei ac proximi, potiſſimùm autem inimici, habitum humilitatis, patientiæ & abſtinentiæ, quorum quiſque plus exigit temporis, quàm ut quis grammaticus efficiatur: ex eò, quòd in anima noſtra radicati ſint alii habitus his multum contrarii, quod non contingit in eo, qui grammaticæ, aut alii cuivis ſcientiæ dat operam. Adverte tamen, quòd quò vehementiores ac frequentiores fuerint actus quos producit voluntas, eò citius acquiritur habitus, quemadmodum contingere ſolet inter duos æqualis ingenii, quòd alter unius anni ſpatio ampliùs proficit, quam alter duobus, eò quòd ille totis viribus ſtudio incubuerit, alter parum

Quo vehementiores ſunt actus voluntatis, eò citius acquiritur habitus

rum

rum laboraverit. Actum autem vehementem seu intensum appellamus, ut verbi causa, si accedat injuria, contemptus, aut vilipensio non præcogitata, imò nec imaginatione præconcepta, quid acturi essemus si tale quid contingeret, si tunc voluntatem fortiter inclinaremus, ut in tantum illud appeteret, quòd etiam gauderemus, quòd tali gaudio donaretur nostra anima adversus id quod, primo amabat contra Dei voluntatem. Atque è diverso, si ablato nobis honore aut hominum favore, voluntatem fortiter inclinaremus ad horum aversionem, eo quòd hujusmodi honor ac favor, obstacula sint dejectioni, quæ via est ad humilitatem, quam Deus tantoperè amat. Hujuscemodi actus tantæ sunt efficaciæ, quòd pauci tales, producerent excellentem habitum humilitatis & patientiæ, quanquam regulari cursu, ex multis actibus producatur habitus. Et quod de his virtutibus dictum est, pari

Actus vehementes qui sint?

pari modo & de cæteris venit intelligendum. Est autem in his notandum, quòd super omnia exigit nostra fragilitas, ut magna vi laboretur in vitiis eradicandis. Porrò vitiorum radicem dicimus, non magnam duntaxat, sed & quantumvis parvam inclinationem, quam in nobis moveri senserimus, adversus id quod nobis in Evangelio præceptum aut consultum est. Conemur itaque ad hoc, ut viri & filii Dei excelsi. Quantumvis enim in altum plantatæ sint hujusmodi radices, frequentibus actibus illas tandem extirpabimus è terra carnis nostræ, quemadmodum in dies contingere solet, extirpando e terra radices plantarum corporalium. Hujusmodi enim radices, non extirpantur uno, vel altero, seu tertio tio tractu, sed pluries frequentatis tractibus hinc inde. Longè autem plures necessarii sunt ad extirpandum unum habitum vitiosum: habet enim longè altius fi-

Vitiorũ radix quæ sit?

xas in corpore & animo radices. Documentum hoc videri poteſt tantum verba arida complecti, ſed advertat quiſque, quòd talia videri ſoleant artium aut ſcientiarum principia. Eſt tamen tantæ utilitatis hoc documentum, ut ipſum ſolum ſufficiat ad tradendam nobis rationem operandi, etiam ſi alius modus vel omnis alia ratio ignoretur. Eſt autem adeo neceſſarium ut ſciatur, ac plenè intelligatur quam neceſſarium eſt, ut cognoſcatur & habeatur fundamentum, ad quodvis forte ac ſtabile ædificium. Vanum autem eſſet ſperare virtutum ſublimitatem via ordinaria attingere, abſque modo hic tradito. Et ob hujus defectum plerique multum laborarunt, & parum aſſecuti ſunt, quemadmodum & in pluribus mundi rebus indies accidit, dum ordo debitus non obſervatur.

VII. DO-

VII. DOCUMENTUM.

Quo, per modùm exercitij, declaratur ratio plantandi bonos habitus, & eradicandi malos prædictis instrumentis, & quòd ad humilitatem necessarium nobis sit, ignorare an hujusmodi bonos habitus, ac Dei gratiam jam simus assecuti.

SEptimo advertendum est ei qui tam excelso domino ordinatè servire cupit, præsupposito quòd animæ nostræ strages in malis habitibus consistat, reparatio verò in bonis, qui ex multis actibus regulariter producuntur : aut ex paucis quidem, sed vehementibus & intensis, ut præcedenti documento declaratum est, quòd cum habitus siti sint in anima, etiam actus quibus producuntur, principaliter fiunt animæ instrumentis, quanquam interdum sumant auxilium ab eo quod corporale est.

Ver-

Verbi gratia, cupit quis domum habere sibi gratam, habet pecunias, imò & materialia ad hoc præparata, quantumcunque de ipsa cogitet, aut eam cupiat, nunquam illam habebit donec ad hoc operetur, & unum materiale alteri conjungat, prout ad talem domum requ ritur. Pari modo; si quis sit impatiens, cuperet id in se correctum esse, & habitum patientiæ assequi, quantumvis injuriis appetatur verbo, & opere, quantumvis desideret patientiæ habitum, imò etiam quantumvis os à verbis cohibeat, & manus ab opere vindictæ, nunquam habitum patientiæ producet, nisi ipsi sibi subveniat, potissimum per interiora animæ, intellectum frequenter movendo ad considerandum magnum patientiæ bonum, voluntatem autem tanquam instrumentum ad eum producendam necessarium, inclinando eam, ut appetat injurias & persecutiones pati, amore Domini qui ad hoc

Quomodo habitus producendi sint?

hoc nos adhortatur, taliaque pro nobis perpessus est. Est itaque talis habitus tali modo producendus (ad quod faciunt quæ sexto documento tradita sunt.) Offeras cogitationi intellectûs quid acturus sis, si hæc aut illa injuria (nempe quam plurimum abhorres) tibi inferretur. Subitò ex malo in te habitu occurret animo quidam hujus injuriæ horror. Statim igitur assume tibi in memoriam magnum bonum quod sequitur ex tolerantia talium injuriarum,& voluntatem constringas ad eas expetendas, nec desinas te ipsum ad hoc astringere, etiam si videatur totum esse coactum: semper enim aliquid voluntarii inest, & toties hujusmodi actus produces, ut crescat id quod parum voluntarium esse videbatur, & injuriam voluntariè sufferas, sitque in te plantatus habitus. Exemplum jam positum, prodesse potest ad reliquarum virtutum habitus plantandos, quod enim de

de patientia dictum est, mutato nomine potest & de humilitate, paupertate, temperantia & abstinentia dici, nempe quòd considerando magnum bonum quod inest harum virtutum exercitiis, & compellendo voluntatem, ut dictum est, ad expetendum hujusmodi pauperiem, ac ciborum defectum, producentur in te habitus paupertatis, abstinentiæ, & ita de cæteris. Quòd si consideras Dei esse voluntatem, ut te avertas à fœdis carnis delitiis, tuamque voluntatem compellas ad nunquam illas appetendum, imò ut nec cogitatione in illis immoreris, quantumvis parvo tempore, poteris paucis diebus assequi excellentem habitum castitatis. Et hac ratione potest quis sancto habitu effici dotatus. Notandum autem quod si, ut dictum est, sola injuriæ præcogitatione, fabricari potest patientiæ habitus, longè citius ac melius parabitur, si opere ipso inferatur talis injuria, aut aliud quippiam,

piam, quo ante homines, cum quibus versamur, confusi aut abjecti videamur, modo volũtatem compellamus ad illud exoptandum. Hujus autem ratio est, nam actus voluntatis, præsentem injuriam acceptantis, vehementiores sunt, & ita magis domant animam, quàm qui tantum sunt voluntatis cupientis aut accipientis injuriam sola cogitatione oblatam, nempe cogitando quòd illa continget aut contingere potest. Pauci autem vehementes actus fortius & efficacius operantur ad producendum habitum, quàm multi remissi, quemadmodum præcedenti documento declaratum est, quod etiam plurimum annotandum est ei, qui inter primos Dei servos esse cupit. Non enim dicere aut cogitare debet, se facere quod in se est, ad Dei gratiam aliaque ejus beneficia assequendum, qui non exoptat, idemque exultat, dum ea sibi offeruntur, quibus magis ad ea beneficia disponitur, veluti dum

Pauci actus vehementes citius producunt habitum quam multi remissi.

dum offeruntur injuriæ & contemptu, cum hæc adeo necessaria sint ad vitiorum immunitionem & virtutum incrementum, ad obtinendam perfectam charitatem, in qua consistit omne bonum ac perfectum Dei obsequium. Ad hoc ergo, plurimum expediret, voluntatem admodum firmam servare in boni desiderio ac mali odio. In quem usum non parum conducent sublimes considerationes ac rationes, quibus pleni sunt libri ad devotionem adhortantes: nempe, cur bonum sit amandum, malum verò odio persequendum? hic enim pauca hujusmodi referuntur, cum non alium habeamus scopum, quàm tradere modum ac rationem, quibus in usum & exercitium deducamus virtutes, quæ cum suis encomiis alibi describuntur: quo item pacto eradicanda sint vitia, quæ apud alios multis detestationibus reprobantur, reliquis, gratiâ brevitatis, & quod alibi descripta sint, omissis.

Visum

Etiamsi quis eximios virtutũ habitus assecutus sit. non tamen ob id Dei gratiam se consecutum esse putet.

Visum est etiam cum prædictis annotandum, quò semper timoris freno retineamur; quòd quantumvis eximios virtutum habitus quis assequatur, non ob id certum habet se assecutum verum bonum, hoc est, Dei gratiam: quæ, etsi certò detur dum habemus quæ hic diximus, ac dicturi sumus, nunquam tamen naturaliter scire possumus quando hanc habemus, modo quo Dei voluntas est, ut habeamus, & ita certi esse nequimus nos Dei gratiam obtinere. Apparet autem, præcipuum esse signum quòd illam obtineamus, cum ita mente pertractamus virtutes, quarum habitus jam assecuti sumus, quemadmodum de aliorum hominum virtutibus cogitamus, nempe quòd inde non amplius extollitur cor nostrum, sed Deum benedicit, illique gratias agit, cujus est omne bonum, & de his, æquè atque illis, gaudet ob Dei laudem & gloriam, quæ æqualiter in his atque in illis

manifestantur. Demum ne nostræ desidiæ culpam reijciamus in ea quæ hic scripta sunt, animadvertendum est, quòd si quis anniti videatur, ut obtineat aliqua eorum quæ hic dicuntur fieri debere, nec possit illud assequi, videat illud sibi contingere, quod non annitatur ad aliud obtinendum, quod etiam hic scribitur procurari debere. Verbi gratia, si quis multum annitatur, ut injurias, quæ sibi inferuntur, non sentiat, non tamen graviter annititur, ut sui ipsius odium, seu detestationem assequatur, de quo hîc suo loco scriptum est, parum proficiet. Neque enim fert Deus annisum seu laborem ad unam virtutem, cum desidia ad aliam.

* * *

SECUNDA HUIUS LIBRI Pars, de quibusdam exercitiis, quæ Dei servus habere debet ad reparandam animæ suæ stragem.

HÆc secunda pars tantum protendi posset, quanta est nostra perditio, & ita esset propemodum sine termino, sed præstat nos verbis esse breves, quo latior detur operationi locus. Verus Dei servus qui præcedentibus documentis, utcunque devenit in stragis animæ suæ cognitionem, quantumque seipsum ad illius remedium juvare possit, instrumentis quæ à Deo accepit, invocato ad hoc primùm Dei auxilio, qua etiam ratione hac potestate & instrumentis uti, cum aliis variis quæ ad hoc plurimum necessaria sunt, reliquum est ut se in illis exerceat, quæ necessaria sunt ad reparationem, qua eget ad hoc ut rectè disponatur. In primis ergo statim occupari debet, ut malum omne extir-

Quæ Dei servo fa-

extirpet quod in anima sua est, nempe peccata: ut, cum aliquod Deo præstare cupit obsequium, nihil in eo sit, quod tantæ majestatis oculos offendat. Hoc autem peracto, animam suam adornare debet habitibus ac virtutibus; quibus in suo obsequio gratior apud illum videatur. De his ergo in hac secunda parte agetur, & primis duobus capitibus duo tractabuntur ad peccatorum extirpationem, deinde septem posterioribus capitibus alia tradentur, quibus tanquam muliebri mundo debet anima adornari. Ante singula autem capita, præmittentur brevissima illorum summaria. *cienda sint ut animæ stragem reparet.*

CAPUT I.

De vero dolore peccati, qui inprimis requiritur ad reparandam animæ stragem, & de damno multiplici quod provenit ex peccato.

Quid ei qui Deo servire cupiat primò agendum?

QUI tantum Dominum tam gravibus, veluti proditionibus offendit, & nunc illi servire cupit, æquum est ut initio sibi ignosci procuret, atque ad id eo modo tendat, qui facilius ipsum in Domini sui gratiam & amicitiam restituat. Ne autem incedamus tanquam desperantes, aut opinantes nos non posse invenire remedium, quod exigeret tanta nostra malitia, providit nobis divina illa majestas, semper desiderans, quod nobis utile est, de facili remedio, nempe, ut nobis doleat de proditionibus & offensis, quas peccando commisimus, & quam cito hunc dolorem intimo corde habuerimus, statim mala nostra ante illius oculos oblivioni tradentur. Tanta est peccati malitia, ut ad ejus deletionem, ex se non sufficiant dolor aut lacrymæ, etiam omnium qui in mundo sunt, quanto minus dolor ac lacrymæ unius tantum hominis. Verùm tanta est Domini nostri cle-

clementia, ut contentus ſit dummodo unumquemque ex ſincero corde pœniteat ſuorum delictorum: quicquid autem reliquum eſt ad completum remedium, ſupplet ipſe ex parte ſua, nempe, tribuendo gratiam ſuam, quàm certò tribuit his qui ſe ipſi exhibent morigeros. Sanè, juſtum eſt, ut de peccato doleamus, nemo enim eſt quem naturaliter non pœniteat ſe aliquid perpetraſſe, unde ipſi malum contingere poteſt, aut bonum aliquod deperdi. Peccatum efficit, ut bonum infinitum, quod eſt Deus, nobis perdatur: efficit ut pareat nobis gratia, in qua conſiſtunt cunctæ noſtræ divitiæ: efficit nos diaboli ſervos, Deique inimicos, efficit, ut qui in illo moritur, perpetuò privatus ſit, hæreditate regni cælorum, ſepultus in ſpeluncis infernalibus. Et juſtè ſanè tantum mali debetur ei qui offendit, & peccando proditionem committit contra ſupremum Deum, qui mori voluit

Peccati damna.

ut vitam nobis tribueret. Tanto nos afficit malo peccatum, quantum cognoscere poterit, etiam nihil legens, qui illud multis diebus ex animo defleverit: & quantum non percipiet, etiam si legat, qui illud non deflevit. Ob id ergo, & quia varii libri passim hoc argumentum latè continent, brevibus hic pertranseo. Debet noster dolor multo longior esse quam verba quævis possint exprimere, cùm adeò bonus sit Dominus noster quem offendimus, adeoque dignus ut illi serviatur, & nunquam offendatur, cujus offensa & ira super omnia nos pungere debent, cujus voluntas & bonitas super omnia nos movere debet, ad delenda fletibus nostra mala, ut illis deletis, majestas illa gratum à nobis suscipiat obsequium. Et ad hunc finem qui nos ad fletus movere debet, potest nos juvare secundum documentum.

Quomodo dolor Modus autem hunc dolorem acquirendi, ut ante procedatur, si cor

cor durum inveniatur, est, ut re- *de peccatis acquirendus sit?* præsentando animæ nostræ malum quod ex peccato provenit, de quo jam abunde dictum est, compellamus nostram voluntatem, ut velit illud non esse commissum, velit Deum illo non fuisse offensum. Et hunc voluntatis actum curemus frequenter producere, nunc in genere de omni peccato, nunc ab una peccati specie in aliam discurrendo, idque maximo quo possumus ad pœnam conatu, etiam si interdum videamur sensibilem non habere dolorem: talis enim non est in manu nostra, imò nec necessarius est, etiamsi sanctus sit; quem Deus, in *Quãdiu in hoc contritionis exercitio versandum sit.* cujus manu est illum tribuere, dabit nobis, si frequenter, ut dixi, assumimus illum quem nancisci possumus. Et in hoc dolore debet, ut minimum, uno aut altero mense versari, qui ritè incipit Deo servire.

* * *

CAPVT II.

De eo quod requiritur ad stragem & malas animæ consuetudines abigendas, nempe de nostri ipsorum odio: & primùm quo modo se quisque odisse debet, addito exemplo: & tertio, quo modo hoc odiũ simul stare possit cum charitate.

SEcundum, quod requiritur ad expulsionem co-ruptionis, malorumq́ue habitum qui sunt in anima nostra & quod præ omnibus exercitiis plurimum habet momenti, quo perveniatur ad verum amorem, per quem Deo optimè servitur, est ipsum nostri odium. Nam ex nostri amore proveniunt innumera mala, à quibus gignuntur perversi habitus: & ita cessante nostri amore ad ingressum sancti odii, ad quod frequenter sanctum Evangelium nos adhortatur, corruptum erit omne peccatum, omnisq́ue malus habitus.

Quia

Quia autem hujusmodi odium statim nos terrere videtur, ob innatum cuique ad seipsum amorem supra omne quod in mundo est, ad quod etiam quisque obligatur, primùm videamus modum quo se debet quisque odio habere: secundò, quam ob rem se debet odio habere? & tertiò; quomodo se compatiatur tale odium cum vera charitate, quæ inchoatur à sui ipsius amore? Vt ergo brevibus, quod satis est, respondeamus; ad primum dico, canone seu regula quadam sexti documenti præsupposita: Modus, quo se quisque odio habeat, esse debet, ut nihil quod ipsum delectare potest velit, desideret, aut sibi assumat, præter id quod sine Dei offensa omittere non potest, quin concupiscat aut sibi assumat: quod, etiam cum ea ratione fieri necesse est, quantum ex se est, de hoc doleat, hoc est, quòd considerans quàm indignus sit omni delectatione ob peccata sua, doleat quòd illam cogatur ad-

Quomodo se quilibet odisse debeat?

mittere: quia tamen, & quatenus Deo placitum est, illam libenter & gaudens admittit, verbi gratia comestionem, dormitionem, aut aliud simile, quod secum aliquam adfert delectationem, nunquam assumas, velis, aut desideres, propter tuam consolationem, aut quo satisfacias tuo appetitui, imò firma voluntate apud te statuas, quòd illud nequaquam admitteres, nisi talis esset Dei voluntas, quæ hoc fieri vellet. Utque assequaris aut teneas firmam hanc voluntatem, necessarii sunt actus, de quibus sexto documento dictum est. In hoc autem cognosces talem te habere voluntatem, quando de his rebus solum tantum, & eo modo assumis, quantum putas Deum velle ut sumas, aut desideres. Vult Deus, ut quod necessarium est de cibo in quantitate & qualitate assumas. In quantitate nempe, quantum verè, & non fictè, tibi necessarium est, quò dispositus & fortis sis ad Dei obsequi-

Quæ in rebus necessariis assumendis mensura servanda sit.

quium. In qualitate, ut totis viribus cures suavem omnem saporem rejicere, nisi etiam interdum necessarius sit ad remedium tuæ debilitatis. In his ac similibus, semper expediret aliquid minus accipere, etiam dum nobis necessarium esse videtur. Frequenter enim nimius nostri amor nobis imponit, rarius autem nostri odium. Ad hoc prodest, ut habet D. Bonaventura, propria experientia cum voluntate devota. Est præterea necessarium, cum eo quod prædictum est de modo quo quisque se debet odio habere, ut omnes labores, abjectiones & contemptus, qui fieri, expeti, aut desiderari possunt, assumat, velit, ac desideret sibi inferri, modò non fiat id contra Dei voluntatem, aut modò non sint ipsi occasio damni spiritualis alicujus vel temporalis. Ad hoc autem, est admodum necessaria discretio & cautela, ac consilium probatarum discretione & vitâ personarum,

S.Bonav.

Discretio valde necessaria.

continuus etiam metus ne boni
1.Ioan.4 colore fallamur quoniam scri-
ptum est: *Nolite omni spiritui crede-re.* Super omnia autem, plurimum lucis in his adfert lumen Spiritus Sancti, quod indubiè eis datur, qui cum humilitate ad illud præparati sunt. Est etiam præter omnia prædicta necessarium, si modo laude digno volumus nos ipsos odio habere, nempe, ut non modo relinquamus omnia delectabilia, & desideremus omnem molestiam, ut nunc diximus, sed in hoc quoque valde intenti simus, ut in his gaudeamus, existimantes magnum esse Dei beneficium, quando hujusmodi molestiæ seu adversitates, & privationes rerum delectabilium, imo & necessariarum ab aliquo alio nobis contingunt, quod nobis gravius esse solet, quàm dum ipsi illa assumimus maximè, dum nostro judicio, is qui talia nobis infert, indiscreta aut malitiosa intentione id facit. Et quanquam absque manife-
stis

ſtis indiciis id judicare non debeamus, & ne tunc quidem firma determinatione, quanquam etiam debeamus plurimum dolere ob culpam, perſequentis, ex intimis viſceribus illum amando, tanquam perſonam à qua ſingulare beneficium accipimus, ubi tamen id apertè conſpexerimus, maximè attenti eſſe debemus, ne nobis pereat donum aut margaritum adeo pretioſum, ſed conſiderantes rationes ob quas ſe debet quiſque odio habere, quas ſtatim dicturi ſumus, ſuccedat ſtatim voluntas frequentiſſimos producens actus cupiendi & acceptandi hujuſmodi vilipenſionem ac perſecutionem quæ nobis fit: quæ peragentes ditabimur, ſancto odio quod exquirimus. Omnia hæc prædicta, verbo & exemplo nos docuit Chriſtus præceptor noſter ſupremus; cujus anima ſanctiſſima quanquam nullum habuerit unquam vulnus peccati, & ita non oportuerit ut pretioſum ejus corpus

Chriſtus verbo & exemplo ad noſtri ipſorum odium nos excitavit.

pus

pus, asperitate odii tractaretur; voluit tamen ad nostrum exemplum, quibus favebat, vilipendere quicquid erat delectabile, & consentire, ut persecutionem pateretur, ac præ omnibus malè tractaretur, ut in sancto Evangelio manifestum est. Id autem fecit, ut nos adverteremus, quãtum nobis faciendum esset, ut odium illud assequeremur, quod nobis adeò necessarium est. Cum ergo majestas illa tantum pati voluerit, ut suo exemplo nos ad illud induceret, juxta illud quod D. Petrus in
Cap. 2. priore sua epistola habet: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus*; amore Dei oculos aperiamus, ac videamus, an æquum sit, cùm Deus ac Dominus noster ob peccata nostra, & ad nostram doctrinam adeò malè tractatus fuerit, tantas perpessus injurias ac persecutiones, ut nos omni abjecto pudore ipsum deseramus, nec solum actu non feramus in ejus obse-

obſequium ullam pœnam aut injuriam, ſed nec voluntatem ferendi habeamus, neque hoc meditemur aut deſideremus: immò nec velimus, ut de ea re quiſpiam nobis loquatur. Profectò quemadmodum ridiculum eſſet, ſi quis theologiæ ſtudioſus dici cuperet, aut haberi Theologus, qui nec eo ſtudio occuparetur, nec vel ſcire cuperet, aliquod ejus nactus principium; ita ridiculum eſt, ut ſe quis Dei ſervum exiſtimet, aut in religioſa ſit congregatione, quæ ſchola eſt ad virtutum ſtudium deputata, qui ſanctum hoc odium habere & obtinere non procurat, maximè cum præſentem ſemper habeat tam eximium magiſtrum, qui nos illud doceat: Iſtud ergo conſiderent, ſi qui forſan in ſcholis religionis ſint negligentiores: ſciantque ſibi verè non competere religioſi nomen, niſi ſtudeant, in doctrina tam ſublimis doctoris, verbo & exemplo nobis tradita. Quòd ſi certè aliud ad hoc ſtudium

um nos non propelleret, quam ut tam sublimem præceptorem Dei omnipotentis filium ac dominum nostrum imitaremur, eique similes efficeremur, vel id solum sufficere deberet, ut, absque ulla alia ratione, magno amore ambularemus itinere, quo tam sublimis dominus graditur, cum certi simus, illum nec in via errare posse, nec terminum summæ gloriæ ipsi deesse. De ratione quidem hujus rei assequendæ, agemus post pauca. Vt autem id plenius assequi valeamus, nunc unum notemus, quod primâ facie lectum, parvi momenti videbitur: attentius verò consideratum, magni pretij judicabitur: nempe, quòd maximum exercitium, quod, ut ad sanctum hoc odium pertingere valeamus, nobis maximè expedit, est, ut continuè & incessanter persequamur innumera minuta quædam nostra desideria: quæ, si advertamus, singulis momentis videbimus occurrere. Modus autem ita per-

Persequenda

persequendi, esse debet in morem eorum, qui potentem adversarium ex insidiis adoriri conantur. Nam & nos magna circumspectione providere debemus, num fortassis aliquid desideremus quod Dei non sit, nec ducat ad Deum, statimque, ut senserimus aliquid contingere quod nos extra Deum delectat, inclinanda nobis est subito voluntas, ut illi contradicat nec acceptet. Ubi autem viderimus aliquid contingere nobis adversum, aut displicens, statim voluntatem inclinemus ut hoc cupiat. Quod si quis frequenter hoc exercuerit, longè citius sanctum, quod diximus, odium obtinebit, simulque tantum sui dominium, quantum verbis exprimi nequit, donec dominus dederit ut illud ipsum assequamur. Rursum exhortor, quò hoc maxima diligentia & legatur, & in opus deducatur. Certo enim certius est hic clavem quandam contineri, aliaque multa quæ plurimum faciant ad

Sunt nobis minuta nostra desideria & quomodo?

Quam ob causam se quisque odisse debeat.

ad perfectionem summam. Ob quam autem causam se debeat quisque odio habere, etsi sufficere deberet quod dixit Redemptor noster, *Qui non odit etiam animam suam non potest meus esse discipulus:* &, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum:* ad majorem tamen elucidationem, utque magis satis fiat parum intelligentibus, notandum nobis, quòd multis de causis summè nobis proficuum est, & à nobis requirit Deus odium nostri ipsorum. Primum, quod & pro secundo ac postremo deberet sufficere est, eò quòd quicquid mali in nobis est, omnisque boni ac virtutis defectus ex ea parte nobis provenit, qua nos ipsos non odimus. Quod hinc apertum est. Omne enim malum hoc, aut boni defectus, inde provenit, quòd rem aliquam amamus aut desideramus, contra, sive præter Dei præcepta aut consilia. Sit autem secunda ratio cur nos odio habere debeamus. Nam cùm pec-

Luc. 14.
Matt. 11.

Prima causa.

cando

cando fuerimus contra Deum proditores, æquum eſt, ut omnem, nobis poſſibilem, exhibeamus ſatisfactionem. Porrò cum magna debeat fieri ſatisfactio, juxta peccati noſtri malitiam, nos autem parum præſtare poſſimus, ſaltem ob id nos ipſos odio habere debemus, ut modò dictũ eſt, & cupere ut omnes nos odio habeant, quantum tamen ſine peccato vel Dei offenſa poſſunt ut vel ſic Deo ſatisfaciamus, quandoquidẽ alio modo non ſufficiunt vires noſtræ. Quòd ſi me interroges, quam proditionem peccator commiſerit? reſpondeo; maximam eſſe omnium proditionum: eſt enim mortem inferre Domino ſuo, ſeu vitam ab eo auferre. Quòd enim hoc agat peccator, teſtatur D. Paulus, quando aſtruit, rurſum tales *crucifigere in ſemetipſis Filium Dei per peccatum.* Cujus intellectum ſi deſideres, audi eundem D. Paulum dicentem. *Vivit in me Chriſtus,* nempe ſpirituali quadam vitâ, quâ vivit animas

Secunda cauſa.

Peccator omnis eſt proditor.

Heb. 6.

Col. 20.

mas vivificando, & in illis opera vitæ operando, juxta illud quod scriptum est: *Omnia opera nostra operatus es Domine.* Hoc modo vivit Deus in quolibet justo. Cum ergo ita non vivat Deus in peccatore, manifestum est quòd ipsum peccando interemerit. Quantum autem sit malum, quantaque hæc proditio, quotve mala in se includat, ponderet qui de rebus rectè judicat. Sit quoque tertium, propter quod nos odio habere debemus; idque sublimius est, nempe, ut anima nostra, evacuata nostri amore, quantum Deo gratum est, impleatur eo ipso Deo, cujus bonitas, nequaquam pateretur nos evacuatos nostri amore, non repleri sui amore. Dixi, hanc rationem maximè sublimem esse, quæ nos moveat ad nostri odium. Nihil enim, ut sequentibus de Dei amore tractantes dicemus; adeò ritè perfici potest, quàm ut oderimus omnia nostra sensualia desideria, ut ita regnet in nostra volun-

Isa. 26.

Tertia causa.

luntate ſublimis Dei voluntas, qui eſt ipſe Deus. Et hæc eſt ſumma ſublimitas, quam hic habere poſſumus. Itaque ob Dei reverentiam obteſtor, & ob infinitum illius deſiderium, quo ex ſua bonitate expetit noſtri ſublimationem, rurſum ob naturale deſiderium, quo vniverſi ſummum bonum appetimus, ne ſimus in hoc negligentes, ſed innumeros ſcrutemur cuniculos ac ſubtiles modos, ſanctè nos ipſos odio habendi, quo tantas ac perpetuas obtineamus divitias. Cum autem noſtri animi tepor non permittat, ut nos ipſos malè aut durè tractemus, ſicut deberemus, cupiamus ſaltem, & magno deſiderio conſentiamus, ut provocemur, & ab aliis perſecutionem ſuſtineamus. Neque enim aliud eſt perſecutio, quàm officina aut malleus, quo tollitur à nobis rubigo ſive ſcoria animæ noſtræ, aut eſt ſcalpellus, vel cauterium animæ infixum, quo ab ea aufertur proprii amoris venenum.

Perſecutionem pati eſt magnum bonum.

num, quo exulcerati ſumus, & ab omni bono abſtracti, ut ablata hujuſmodi exulceratione, operari poſſimus ſummum Dei opus, quod eſt amor ipſius. Summè igitur exultemus, dum ab aliis malè tractamur, injuriiſque aut calumniis afficimur, & magno ad Deum, noſtrumq́; perſecutorem amore exclamemus: Vnde hoc mihi ut in terra habeam, qui à me ita auferat animæ meæ ulcerationem aut infectionem, ſitq́; mihi occaſio, ut ſummis apud Deum opibus diter? Advertamus, quòd ſummæ habeatur felicitatis, incidiſſe in chirurgum, qui corporis noſtri curet vulnera: idq́ue tamen non ſine acerbis punctionibus, quæ ipſius velut medullam animæ ſummè crucient. Certum eſt autem, longè felicius eſſe, incidiſſe in ejus ſocietatem, qui præter rationem malè nos excipiat, idq́ue quo indigemus auferat. Nam ſi hac voluntate amplectimur, à mortifero proprii noſtri amoris veneno ſani red-

Beatus qui perſecutio.

reddimur O beatum eum, qui id senserit ac desideraverit, & continuo ac efficaci studio procuraverit! O beatiorem adhuc illum, qui, dum se in hujusce persecutionis conflictu positum viderit, amaros illius haustus devoraverit, quò hunc amorem assequi, aut possidere valeat! O longè felicissimum eum, qui longo exercitio, adeo directus est in magnitudinem suavissimi hujus odii, ut licèt ob naturalem inclinationem, magnam secum adferat pœnam talis persecutio, ardens tamen desiderium crescendi in Dei amore, illud in tantam convertat dulcedinem, quantam secum adferre solet id, quod magno desiderio longè antea concupivimus. De modo autem seu ratione quæ ex nostra parte exigitur, ut istud obtineamus, in sequentibus agetur, capite sexto de humilitate, quæ hujus primarium est fundamentum. Expedit tamen ut hoc quoque loco tradatur efficacior hujus sancti odii

nes hilari animo sustinet.

Quomodo sanctum nostri ipsorum odium assequi valeamus.

odij assequendi ratio, eò quòd res ſit adeò extra omnem uſum. Ad quod nobis advertendum erit, plurimùm expedire, valde attentum eſſe, quòd tempore quo inclinatur voluntas ad expetendum vel acceptandum perſecutionem, non conveniat ante oculos afferre ipſam perſecutionem, compellendo ut illam acceptet: admodum enim difficile eſſet voluntariè vel ſpontaneè acceptare perſecutionem, cùm præſens aut adhuc recens eſt, niſi Spiritus ſancti unctione præventi eſſemus, ſed hoc modo agamus, cautela aut ratione ſancta utentes. Contingit, ſine ulla ratione nobis inferri injuriam, comitante etiam magnâ pœnâ. Ecce jam nos poſitos in mortis diſcrimine Nam ſenſualitati, eo temporis articulo nulla eſt reliqua vita, ſed in totum ſubjecta jacet: miſera ratio non eſt domina, ut debet, ſed illi tanquam ſorori, licèt adverſanti, compatitur: dæmon, qui nunquam dormit, omnibus

bus malitiæ ſuæ machinis jaculatur, quò nos incendat, ut perſecutionem magis præſentiamus, *Fidelis tamen eſt Deus*, inquit Paulus, *qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis* ſine caſu ſuſtinere. Nunc expedit videre quid ex parte noſtra facere poſſimus, & debeamus in hujuſmodi diſcrimine, cum ſummi Dei noſtri auxilio. Nempe ut cum ita præſens eſt aut vicina injuria, illius, quantum in nobis eſt, ad breve temporis ſpatium obliviſcamur, & hoc temporis intervallo, oculos noſtræ conſiderationis erigamus ad cogitandas innumeras divitias, quæ in Dei amore continentur: de quo in tertia parte latiùs agemus, & hac conſideratione voluntatem inclinemus, ut tam ſublime bonum hujus amoris, adamare velit: ita autem jam adamantes ac concupiſcentes tantas divitias, convertamus nos, ut voluntatem inclinemus ad præſentem, perſecutionem, veluti oblivioni prius tra-

1. Cor. 10

Oculi mentis non ad præſentem tribulationem, ſed ad immenſas amoris divini divitias convertendi ſunt.

traditam, & reputantes illam adeò necessariam esse ut dictum est, ad obtinendas amoris Dei divitias, illam toto conatu expetamus, cùm rem quamcunque liberè possimus expetere, præsupposito divino auxilio, ut antea sexto documento dictum est. Hac autem ratione, indubiè emollita voluntas, & roborata præmio amoris Dei ac futuræ gloriæ, promptissima erit, ut inclinetur & trahatur ad acceptandam hujusmodi persecutionem, quæ primum nos terrebat. Quòd si certè aliquoties, ut dictum est, id exercuerimus, adeò ad bonum assuescemus, ut quod antea supra naturam esse videbatur, jam etiam grata delectatione peragamus. Rursum mihi dicendum videtur, ut notetur quod nunc in modum artis seu methodi traditum est, eò quòd nonnihil habeat difficultatis, cum ad intelligendum, tum ad operandum: multum autem habet momenti, tum ad totum hoc caput,
tum

tum ad, caput de humilitate, de patientia, & de animæ affectibus, tum etiam ad caput de proprio nostri amore, & rursum ad quamvis difficultatem, seu laborem interiorem & exteriorem, qui nobis occurrerit, denique ad universam hanc rationem, seu methodum serviendi Deo. Quo ad tertium, quomodo se compatiatur vera charitas & sui ipsius odium? Respondeo: quod non modò se compatiuntur, imò nunquam pertingemus ad summam charitatis celsitudinem, nisi nos ipsos oderimus. Statim enim ut quis se ipsum odit, modo quo dictum est, & non antea, habet omnem quem erga se debet habere amorem, quique illi summè utilis est & gloriosus, & quem vult Deus ut habeamus, hoc est, quod tum habet Dei amorem, & virtutum, ac cælestis gloriæ, & omnium quæ ad illam conducunt. Hic autem amor, non compatitur accessum ullius vitij, quantumvis ad illud simus

Quomodo charitas & sui ipsius odium se mutuo compatiantur.

mus inclinati, & ita nos ipsos abnegantes, nosque odientes, auferendo à nobis ipsis malum quod desiderabamus, vero & sancto amore replemur. De hoc latius in sequentibus agemus capite nono, & capite de sui ipsius amore.

CAPUT III.

De tribus quæ necessaria sunt ad animam adornandam.

AD majorem declarationem, & ingressum in argumentum quod de virtutibus & aliis quibusdam ad animæ ornatum dicendum est, notandum nobis erit, quod is animam suam dicetur adornatam habere, qui conformes habuerit appetitus naturales cum ratione divinisque legibus. Non est autem aliud hæc conformitas,, quàm virtutum quædam congeries, dum quæque in anima suo loco sita, illam reddit decoram ac dirigit, prout tantæ ejus dignitati convenit, mitigando falsas

Quis animam suam adornatam habeat?

falſas malaſque concupiſcentias, quæ illi ex peccato adhæſerant, ac diſponendo eam ut ſerviat, & abſque ulla contradictione gratum exhibeat obſequium ejus, qui illam creavit, voluntati. Operæ pretium itaque erit videre, quo modo quave ratione utemur ad has virtutes obtinendas, de quibuſdam illarum nonnulla tractando, & de quibuſdam aliis, quæ ſimiliter ad eas aſſequendum neceſſaria ſunt. Quantum ergo ex ſacro Evangelio ſanctiſque doctoribus licet colligere, quantum ad iſta pertinet, ad tria poterimus reducere quæ neceſſaria ſunt, & in quibus continuè occupari debet, is qui adeò ſublimem ornatum cupit obtinere. Primum, ut à potentiore poſtulet auxilium, quandoquidem vires humanæ fragiles ſunt ad id quod adeò ſublime eſt, ad hoc autem ſervit Oratio. Secundum, ut plurimis actibus, tanquam ipſa materia, fabricentur habitus iſti virtutum. Tertium,

Tria ad animæ ornatum neceſſaria ſunt.

ut velut fræno retineãtur, aut cautè deducantur affectus naturales, qui in singulis inveniuntur hominibus, & à Theologis ac Philosophis dicuntur gaudium, tristitia, spes & timor, Age igitur, tria hæc sequentibus sex capitibus tractemus, semper memoriâ retinentes documenta, quæ prima parte tradidimus: erunt enim passim hic usui.

CAPUT IV.

De Oratione.

Cur Deus orationi nos velit incumbere?

VOluit summus Deus noster, supernaturali suo auxilio nos egere, quandoquidem bona ad quæ nos creavit, supernaturalia sunt. Voluit etiam ut illud ab eo postularemus, non quia magis cupiat illud nobis dare, quam nos ab ipso accipere, sed ut majori cum gloria possideamus illud, quod majori obtinemus conatu & labore illud expetendo. Alia quoque id fit ratione, nempe, ut nos ipsos

ipsos, non modo ratione orationis efficiamus quodammodo merentes id quod petimus, petendo illud uti debemus, verum etiam ut tanquam importuni petitores, frequentius nos ipsos præsentemus ante dominum à quo petimus, & ita ante ipsum præsentati perveniamus in cognitionem ipsius majestatis. Quantò enim rem habemus præsentiorem, tantò magis in nobis imprimitur ejus notitia: & quantò magis notam habuerimus ejus magnitudinem, supernasque ipsius eminentias, tantò ampliùs exultemus in ipso: quantò autem magis in ipso exultaverimus, eumque cognoverimus, tantò magis eum amemus: porrò quantò magis eum amaverimus & cognoverimus, tantò magis in animabus nostris resplendeat lux veritatis: denique quantò magis hæc lux cum sui amore in nobis illuxerit, tantò amplius quicquid Deus non est, aut in Deum tendens, nihilum in ocu-

lis nostris reputetur, tantoque amplius malum oderimus, omnemque virtutem amplectamur, & ad Deum ipsum accedamus. Ex quibus clarè constat, orationem, variis rationibus certum iter esse ad obtinendum quicquid nobis est necessarium, & ut nos ducat ad celsitudinem amoris ad quod nati simus. Itaque ipsam orationem, aut quam habemus orandi necessitatem, existimare debemus pignus, quod Deus habere voluit, quo nos apud se retineret. Certò enim noverat, quantum boni ex sua præsentia nobis accederet, & quàm certa futura esset apud nos sui oblivio, si ipso non indigeremus. Nunc autem advertendum est quòd orationis excellentia, ut sit plurimùm meritoria ac imperatoria: non tantum in eo consistit, ut quod petimus, sit quidpiam eximium, quantum ut sublime habeat motivum aut scopum ejus qui orat: quod si sit æquale motivum ejus qui regnum coele-

Orationis excellentia.

In quo consistat orationis vis ut sit meritoria.

cœleſte petit, & ejus qui panem ad edendum, ſeu corporis ſalutem poſtulat, dicetur æqualis meriti oratio: quanquam ex parte rei petitæ ſit una oratio ſublimior altera, idque quod una oratione obtinetur, ſublimius ſit eo quod in altera. Motivum autem quod nos ad orandum movere debet, eſt, credere quòd Deus ac Dominus noſter vult, ut illud habeamus quod petimus: vult etiam ut illud petamus, quò, mediante noſtra oratione, illud quodammodo promereamur, & illud obtinendo, magis diſpoſiti ſimus ad ejus obſequium. Beatus ſiquidem eſt panis quem edit is, qui ad hoc edit ut vivat, quò vivens ſemper occupetur creſcendo in amore gloriæ Dei ſui. Sic enim & petitio panis, & quicquid reliquum eſt, tali motivo conjunctum eſt ſublimis meriti. Talis prætererea animi eſſe debemus, ut ſi Deo gratum non eſſe putaremus, nos illud obtinere, quod plurimum deſideramus,

Quâ intentione moveri debeamus ad orandum.

protinus, quantum in nobis est, illud nec desideraremus nec peteremus. Itaque, famelicus quidem, ut plurimùm fame, qua premitur, movetur ad petendum panem, at non ita qui rectè Deum orat, cibum, gratiam, virtutes & gloriam petere debet, hoc est, non potissimùm quòd horum indigentia prematur, sed quod Deus ac Dominus noster, summè cupiat, ut hæc habeamus, nostram duntaxat petitionem expectans, ut ea nobis tribuat; adeò ut amplius movere me debeat ad desiderandum ac petendum meum bonum Dei voluntas, cupientis ut ego illud habeam, quam gaudium & gloria, quæ ex eo bono mihi spero proventura. Modus itaq; orandi esse debet, ut habitum jam assecuta anima nostra optandi quicquid Deus cupit supra aliud quodcunque, & innumeris actibus ea sit actu petendi exercita, non potissimùm ob bonum nostrum, sed quòd ejus tam eximia voluntas dignissima sit,

Methodus orandi Deum.

ſit, quæ appetatur ſupra omne appetibile, quicquid ab eo petierimus, immixtum ac intextum ſit hujuſmodi habitui: ſingula quoque verba precationum noſtrarum adjuncta ſint actibus volendi aut deſiderandi quicquid expetimus, ob id quod Deus cupiat ut illud habeamus, quò gratiores illi ſervi hoc pacto efficiamur, majoremque amorem habeamus. Beatus qui ſic oraverit: nam intra paucos dies, in virum evadet validum, fortem, ac potentem in domino. Ad univerſa autem nunc prædicta, maximè neceſſarium eſt, ut probè nota ſint, meliuſque in opus deducta, ſecundum & ſextum documenta, quæ præmiſimus. Modo autem precandi jam præcognito, viſum eſt operæ pretium adjungere paradigma, quo, veluti digito, oſtendatur quicquid diximus. Vidi enim nonnullos viros ſpirituales, qui ſuo quidem judicio, dicto motivo precabantur, non tamen ita erat, agnoſcebant

Exemplo declaratur quæ oratio perfecta intẽtione fundatur quæ non.

autem suum errorem, hoc aut simili paradigmate, verbi causa. Optat quis virtutem, aut gratiam ad bonum aliquem finem; advertit dominum dixisse, ut petamus ab eo quod nobis necessarium est. Petit instanter, agnoscens etiam suam abjectionem, perseverat in hoc petendi modo, sentit quoque in sua postulatione gustus dulcedinis, divinique amoris. Opinantur, ut dixi, nonnulli devoti, hanc orationem à perfecto motivo vel scopo proficisci, nec tamen ita est, quanquam bona ac devota sit oratio. Quòd si requiras, quid illi ad perfectionem desit? respondeo; deesse illi, ut ex amore petatur, etiamsi petitur, cum amore. Dico ergo, non sufficere, ut perfectum sit motivum ejus qui orat, ut amet, cæteraque habeat vniversa, sed necessum est quoque, ut ad rem postulandam ex Dei amore moveatur, & non amore rei concupitæ, quanquam tamen & amor illius rei servari possit, magna

cum

cum perfectione & merito: modò actu referatur, ut propterea ametur, quia Deus vult ut illam amemus; quòd jam aliud est, & propemodum egreditur orandi limites. Hoc itaque multi considerantes in cognitionem venerunt, quòd occultatus fuerat sui ipsorum amor, sub umbra amoris Dei, verumque fuisse, quod licèt Deum amarent, non tamen isto amore movebantur actu dum orarent, sed sui ipsorum amore, licet non malo, quo agebantur ad postulandum id quòd postulabant, ob id quòd bonum esset. Istud faciliùs capietur ex eo, quod passim contingit inter eos, qui invicem se amant, quòd unus ab altero quidpiam postulat, idque cum amore quo illum amat, non tamen ex amore quem habet ad illum à quo petit, sed ex sui ipsius amore & commodo. Supra ergo dictum est, nos non eo modo debere à Deo petere, sed petendum esse cum ipsius, & ex ipsius amore, hoc est, *Deus orandus est non tantum cum amore sed ex amore.*

ut actu in nobis desiderium percipiamus obtinendi id quod postulamus, quò Deus ex eo gratum in nobis suscipiat obsequium. Magna sanè est & necessaria, attentio, quò horum amorum discrimen agnoscatur: est enim res cum primis necessaria ut hoc sciatur, multique opinati sunt se in his rectè incedere, propiùs autem & majori claritate rem perspicientes, invenerunt, tantum veri amoris Dei fuisse imaginationem, & se ab eo longè abesse. Ille itaque credat se in eo rectè procedere, qui tanquam duci viæ continuè innixus fuerit, actuali cuidam desiderio, obtinendi per orationem has aut illas virtutes, quò Deus gaudeat videre illum his ornatum, & ipse in illius amore summè crescat. Qui ergo tam clarè perspexerit se hac ratione moveri, quam clarè se perspicere potest in dato prius exemplo in secundo documento, de eo qui pro amico desiderat & quærit cibum aut medicinam, quam

Quis ex amore petat?

quâ pro se ipso eget, oblitus sui ipsius aut suæ propriæ necessitatis. Cui istud contigerit, & petierit ignosci sibi peccata, ac de illis doluerit, hunc magis movebit dolor, quod videat in anima sua esse quod Dominum Deum offendat, & desiderium videndi illam mundam, quo iste Dominus gratum in ea inveniat obsequium, quàm displicentia quæ inde oriri solet, quòd videamus nos incompositos, & alienatos à spirituali consolatione, quàm vel habere solemus, vel desideramus, aut ob quemvis timorem. Potest item dari exemplum in rebus omnibus quas petimus, in quibus satis importuni esse solemus: veluti dum cupit quis laborem aut dolorem evadere, seu bonum aliquod obtinere: debet enim in corde nostro sentiri desiderium evadendi illam angustiam, non potissimum ob pœnam quæ in illa sentitur, sed ne sit nobis impedimentum serviendi Deo, habendo promptam & non

Exemplis id declaratur.

fictam

fictam voluntatem, quod si ullo modo ille quovis tempore cuperet, nostra angustia sibi obsequium præstari, quod fiat voluntas ipsius, & quod hæc voluntatis ejus adimpletio ex nostra angustia, sit nobis exultatio, gaudentibus quòd gratum à nobis suscipiat ille obsequium. Pari quoque modo, de bono quod cupis, aut impetrare postulas, nempe ut illud fiat, non ob tui consolationem, sed ut in anima tua percipias stimulum quendam incitantem, ut hoc desideres, eò quòd bonum illud habens, magis animatus sis, quò anima summo & eximio amore Deo, sit magis unita.

Magni ac frequentes actus ad hoc sunt necessarij, eorum qui secundo ac sexto documentis descripti sunt. Et initio quidem videbitur, quod non modò devotione non crescimus, sed & ejus quam prius habebamus jacturam facimus; in quo magnam sentiet tristitiam anima fragilis ac recens in hac

Præter devotionis imminutio.

hac tam ſublimi operatione, viri- *nem ab*
liter tamen hoc exercitium pro- *hoc exer-*
ſequi debet, cum ſit eximium. *citio non*
Nec admiretur ſe ſentire devotio- *ceſſan-*
nis imminutionem; nam & in his *dum.*
principiis, quibus percipit hujuſmodi tepiditatem, longè amplius merebitur quàm prioribus, dum ſibi majorem guſtare videretur ſuavitatem. Siquidem hæc ſuavitas, oriri ſolet ex ſui amore, quanquam non malo: qui tamen relinquendus eſt, ut toti ſimus deditі Dei amori, qui ſublimior eſt. Cum enim illa oriretur ex noſtri amore, qui magnus erat, magna erat & ſuavitas: relicto autem illo amore, & aſſumpto ſolius Dei amore, qui initio modicus eſt, ſentitur modica ſuavitas aut devotio: creſcente autem hoc amore, creſcet & ſuavitas aut devotio. Quadrare ad hoc videtur paradigma, ſeu id quod nonnunquam experimur, nempe, quod dum ligna duo ſimul ardent, quorum alterum ſiccius eſt ac incenſum, alte-

rum

rum verò non ita, magna tamen unius inflammatio, efficit ut alterum viride, nec ita accensum, plurimùm ardere videatur; si autem illa sejungas, videbitur illud quod non ita accensum est, flamma & ardore carere: quòd si quis velit penitus non extingui, opus erit, ut flatu seu ventilatione iuvetur, aut priori jam incenso adjungatur, cujus conjunctione prius ardebat. Pari quoque modo, cum amor, quem erga Deum habemus, non sit admodum ardens, adjunctus tamen amori quo ad nos ipsos flagramus, ardere videtur, quodque ex ipso magna operemur: separato verò nostri amore, apparet debilitas amoris quem ad Deum habemus. Vix enim quicquam lucere perpenditur, sed potius frigidi facti videmur. Itaque, fortificari hunc oportet multis validis actibus, eique succurrendum est, earum rerum consideratione, quæ nobis juxta nostri amorem dulces esse solent, nempe consideratione

Amor Dei multis validis actibus fortificandus.

ne magni illius boni gloriæ, & consolationis, quæ nobis proventura, speramus. Rursum, quod sic ingentia mala evademus, quæ naturaliter horremus, & odimus. Et hujusmodi nostri amoris flatibus, credendum est, modicam illam flammam & accensionem amoris ad Deum, vires & incrementum paulatim accepturam, juxta majorem conatum quo ad illum accedimus, adjuti nostri ipsorum amore, ut dictum est. Expedit tamen ut plurimum annitamur, quò in omnibus prædictis, magnos & validos actus habeamus, ut in nobis solius Dei amorem tam vehementem producant, quàm esse solet is, quem prius habebamus, veluti compositum ex nostri amore qui magnus erat, vehemens ac dulcis, unà cum amore ad Deum qui erat valde exiguus. Hoc autem nobis procurandum est, donec tantam sentiamus suavitatem, dum à nostris liberari procuramus angustiis, eo tantum fine quò melius

melius Deo serviamus, ut dictum est, quam sentire solemus dum idem peteremus nunc inducti, ut videlicet liberaremur à molestia quæ nos fatigabat. Qui ergo ita egerit, meritò opinari poterit se verum ac sincerum habere Dei amorem, quem semper postulare debemus. Grandis est hæc alteratio ac mutatio dexteræ excelsi! beatus qui illam in terra gustaverit! jam enim habitare incipiet inter pascua, quæ contingunt in æterna gloria. Operæ pretium est autem, ad id quod prædictum est, ut dum oramus, admodum in hoc attendamus, donec tali orandi modo omnino assueti & habituati simus, quò in singulis nostris postulationibus disquiramus, utrum ad petendum & desiderandum id quod petimus, moveat nos Dei amor, an verò ejus rei quam expetimus dilectio, sive affectio quæ nos occupat. Neque ullo modo progrediamur ex una postulatione, donec voluntatem inclinaverimus

Quid nobis in oratione maximè attēdendum est?

rimus, ut illud acceptet ea ratione, quia Deus vult ut illud petamus, & in hoc ipsi servitur. Quòd si in hoc sumus negligentes, nulla spes relinquitur nostri incrementi in bono habitu orandi. Exempli gratia, hoc modo petimus: *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.* Petitur hac prima petitione, ut Dei nomen in nobis habeamus in æstimatione & amore, absque ulla terrenæ rei mixtura, quæ cum eo ametur. Adeò sublimis est hæc petitio, ut qui illam sibi obtineat, in terra beatus sit. Si quis ergo id intelligit, & se amat, tantum bonum indubiè sibi volet, magnaque affectione expetet, & bona erit postulatio. Nos tamen hac re contenti esse non debemus, sed ulterius procedentes inclinemus & inducamus voluntatem in aliud perfectius motivum, nempe, ut illud desideret, eò quòd dignissimus est Deus, qui solus in cordibus nostris æstimetur & ametur, absque ulla com-

mixtio-

mixtione amoris nostri, aut ullius alterius rei terrenæ, & quia nos ad id creavit illa majestas. Neque ullo modo transeamus ad aliam petitionem, nisi obtento hoc motivo. Meminerimus etiam quod dixerit Dei Filius in sacro Evangelio: *Oportet semper orare.*

Luc. 18.

CAPUT V.

De quibusdam virtutibus in communi, quæ ostenduntur aliunde non haberi quam à pretiosissimis fodinis, seu venis passionis Christi.

PLurima de virtutum excellentiis & diversitatibus scripta sunt in variis libris, sed beatus est, qui illas legerit in libro vitæ, qui est JESUS Christus, fons sapientiæ in cœlo & in terra. *Discite à me,* inquit illa majestas, tanquam ex optimo libro, sintque illa pauca, tum ne ea oblivioni tradatis, tum ejusmodi sint, ut ubi ea didiceritis, vera sapientia pleni sitis.

Matt. 11.

Virtutes à Christo, non aliunde discendæ.

Ita-

Itaque *discite à me, quod mitis sim & humilis corde.* O beatam doctrinam! O longissimam brevitatem humilitatis & patientiæ, quas discere nos oportet in fonte Sapientiæ Dei. Ne quis ergo ditari speret virtutibus, nisi illas à Filio Dei homine facto addiscat, & maximè ab ejus passione sacratissima. Nam hæc, veluti aurifodina mundo data est à clementissimo patre, ut plenis manibus inde colligere valeamus, semperque videre, & audire eminentiam cujusvis virtutis. Magna est illius præsumptio, qui alibi putat colligere virtutes, segregatus à tam abundante fodina, in hoc à Deo data: beatus autem erit quisquis meditatione continua ad intima hujus fodinæ ingressus fuerit: ibi enim venas adeò divinas inveniet, ut ipsum ad opes Angelicas exaltent. In eo siquidem omnes thesauri divinitatis sunt reconditi. Nunc itaque videtur operæ pretium aliquid subjungere, de modo quo duas has

Christi Passio virtutum speculum.

has virtutes addiscamus, ab humilitate inchoantes, tanquam à fundamento omnis boni.

CAPUT VI.

De humilitate, cur illam Deus, adeò à nobis requirat, & de ratione ipsam conquirendi.

Humilitas in tantam scandit sublimitatem, rursumque in tantam se demittit profunditatem, ut à sanctis Doctoribus longæ sint scalæ confectæ plurimorum graduum, quibus ad eam perveniatur. Nec speret quisquam, ad tam sublime humilitatis cœlum, absque scalis conscendere. Cum autem, ut dixi modò, de his scalis abundè provisum sit, decrevi, his omissis, ulterius procedere. Meo judicio si quis hos gradus conscenderet, hic in talem sui omniumque rerum cognitionem statim perveniret, qua clarissimè videret, quòd ex se quicquam non

Veri humilis actus.

non haberet, præter quàm nihil: quodque omne quòd aliquid est, ipse Deus est: & quòd cum ita sit, meritò exigit ille, ut ne furtum aut simile malum committatur, omnis cogitatio, omnesque hominis vires intendantur, ut omnibus modis, ille magnificetur, cujus est omne id quod aliquid est. Optat præterea humilis, cum non aliud exigat humilitas, quam quod suum est, ut universus mundus ipsum tractet, ac æstimet, pro eo quod est, hoc est, tanquam nihil, ne videlicet hominum corda vel brevissimo spatio occupentur, æstimando alicujus esse pretij, id quod re vera nihil est, aut vas est iniquitatum, quod pejus est quam nihil, & tale est quivis peccator. In hoc ergo, ut id quod nunc diximus, multis bonæ considerationis actibus in corde firmum sit, consistit clavis humilitatis, cupiendo etiam, ut qui nos malis afficiunt, ac despiciunt, & quicunque id vident, existiment nos

In quo consistat clavis humilitatis.

nos, non ex humilitate ea sufferre, sed quòd evitare illa nequeamus, quod præ oculis semper haberi debet. Neque enim pro magno æstimari debet, velle malis affici cum despectu, si opinamur, eos qui illud vident, existimare nos id ex humilitate sustinere, non offensos, nec injuriam, sentientes. Et hoc est, quod D. Bonaventura dicit, cum in *stimulo amoris* hortatur, ut qui nititur Deo placere, conetur ab aliis vilis & abjectus haberi, non humilis sive modesti animi. Id dico, ut totaliter ab aliis cupiamus viles haberi, & ut abjecti tractari, quod etiam optemus, eos opinari, esse omnino contra nostram voluntatem, quòd sic tractemur, nosque admodum ægrè ferre, & multum indignari quòd taliter æstimemur, & ita nobiscum agatur, cum in rei veritate inde gloriemur, ob sanctum nostri odium, quod in nobis est. Est tamen advertendum, quòd si quis tam sublimis esset vir-

S. Bonav. Viles haberi velle debemus, non humiles.

virtutis, ut nullam sibi vim inferens, posset optare, ut ipsum cæteri vilem & non humilem æstimarent, juxta id quod modò declaratum est, talis, ad proximorum ædificationem cupere posset, ut opinarentur, quòd hujusmodi injurias cum gaudio, & non renitente voluntate sustineret, sed Dei humilitatis amore: essetque ea humilitas heroica, & hanc humilitatem jubet Dei Filius, ut ab eo discamus, cùm ait: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* **Matt. 11.** Quanquam & alia sublimia mysteria latent in Redemptoris nostri humilitate, quæ hic non referuntur, tum quòd ineffabilia sint, tum quòd in admirationem magis sint relicta quàm ad imitationem. Fuit enim humilitas adeò conjuncta patientiæ, ut in quibusdam rebus illam non possimus exprimere seu imitari, sine nova admiratione: sicut admirandum fuit ejus gaudium, quod in passione sua simul cũ summo dolore habuit. Sed cum à

Redemptore nostro hæc nobis addiscenda sit humilitas, operæ pretium nunc mihi visum est, ejus humilitatem ob oculos ponere; quemadmodum rudes, in arte quapiam addiscenda, aut pingendi adhuc imperiti, coram oculis habere solent exemplar, quod discendo imitari cupiunt. Hæc autem Filii Dei humilitas inexplicabilis quidem est, sed tamen juxta nostram ruditatem illam cognoscere tentabimus, considerantes quòd cum esset Deus infinitus, & homo perfectissimus, voluit, & magno cum gaudio elegit, pro re minima, imo nulla propemodùm æstimari, & pro tali tractari, variis injuriis, contumeliis, ac vituperiis, à die quo natus est, donec mortem quoque ignominiosissimam sustinuit; & hæc omnia, non quòd ei necessaria essent, sed ut nos, quibus tanta erat necessitas, disceremus modum humiliandi nos ipsos, qui in prædictis consistit. Unde videre est, quàm re-

Perfecta Christi humilitas.

pre-

prehensibilis sit is, qui hanc humilitatem non discit & arripit, quam tantus magister exhibuit, & exercuit in se ipso, licet non pro seipso, sed ut nos illam ab ipso disceremus. Cognita itaque nostri regis humilitate, debet quisque in corde suo aliam ad illius imitationem vel similitudinem fabricare, non quòd jubeatur, ut ad ejus æqualitatem tendamus: nam & si omnes creaturæ cuperent, & gauderent vilissimæ haberi, ac indignissimè tractari, ex minima sui reputatione, habita ex vera suæ abjectionis cognitione, omnisque hujusmodi omnium humilitas in uno homine cumularetur, nulla esset hæc humilitas, collata cum Redemptoris nostri humilitate. Sunt enim variis modis differentiæ innumeræ, inter majestatem illam & omnes nos, quarum quælibet infinitum ponit discrimen inter humilitatem illius excellentiæ, & omnium sanctorum humilitatem, etiam in eodem accumulatam.

Qui Christi humilitatem non conatur imitari, reprehẽdendus est.

Humilitas omnium hominum cum humilitate Christi si conferatur, nulla est.

latam. Dixi ergo quòd nostram humilitatem fabricare debemus, ad similitudinem humilitatis nostri Redemptoris; eò quòd nostra vilitas & abjectio illi magno gaudio est: rursum dico, magno gaudio, nam hic cardo rei consistit, quod quilibet cupere & desiderare debet, in oculis omnium pro nihilo reputari, & ut talis tractari: aliud enim quod ex nobis est, non promeremur, nec quicquam sumus: cum etiam Dei Filius ac Dominus noster, nihil commeritus, consenserit ac cupiverit talis æstimari, cum bonum esset infinitum, & ut talis tractari, ad nostrum exemplum, ut diximus. Posset autem quis admirari, quòd Deus in nobis exigat, tantam nostri vilipensionem & humilitatem, & quæ ipsi tanti constaret, dum nos eam suo exemplo docuit. Advertemus ergo, quod ita voluit, eò quòd id nobis in veritate conveniat, & quia ex nobis nihil boni habemus, nec promeremur,

Christus nihili fieri voluit, quanto magis Christiani?

remur, etiamsi multa bona ex magnifica Dei manu habeamus, cui soli acceptum ferre debemus, & illum, non nos ipsos, inde glorificare. Neque solum id nobis convenit, sed & summè necessarium est, tanta enim humilitas, cum voluntariè assumpta nostri abjectione, perfecta medicina est humanæ infirmitatis mortiferæ, quæ ex superbia provenit: neque quisquam perfectè unquam ab illa curabitur absque perfecta humilitate. Quantum autem de perfecta cura defuerit, tantum de animæ emundatione deerit: rursum, quantum de animæ emundatione defuerit, tantum de beneficiis & gratia Dei nobis deerit, tantoque minus sui erimus. Quòd si quis roget, quo modo possit quis gaudere, quòd vituperiis agitetur, cum adeo difficile sit, id velle, poterit responderi, quòd id fieri possit, ex magna consideratione jam dictæ humilitatis Filii Dei; & ex utilitate quæ inde nobis provenit,

Cur Deus voluerit nos abjectos esse?

Nullus ab imperfectionibus liber sine humilitate.

Quomodo gaudere possu-

mus cum convitiis afficimur.

venit; & maximè, quia ita habiles reddimur, ut Deus in nobis habeat gaudium, & gratum servitum. Nemo autem qui discretus est, repellere debet id, per quod adimpletur Altissimi voluntas, unà cum gloria propria, & inæstimabili utilitate, ac perpetua pro se ipso, ex brevissimi temporis labore. Attamen, ut ratione respondeamus prædictæ quæstioni, notabimus, quòd ad fabricandam prædictam humilitatem, necessarium est illud, quod sexto documento diximus, nempe ut inclinemus frequenter voluntatem: rursum dico ut frequenter, imo indies valdè frequenter, cupiat, & cum gaudio desideret abjectionem ac vilipensionem adeò pretiosam. O quam meritò debet humiliari, sive humilis esse ac despici, qui toties inventus est proditor adversus dominum æternum, per peccatum tradendo animam suam diabolo, auferendo illam ab eo qui suâ solâ bonitate pro ipso mori

Ad comparandã humilitatem, quid opus facto?

mori voluit, hoc eſt, ab ipſo Deo æterno. Sanè ſi hoc feriò adverteremus, magno dolore honorem ſuſciperemus, ſi quando nobis offerretur, cum clariſſimè videamus, hinc nobis provenire quod demeremur, & quod fortaſſe nobis erit impedimento ſummorum bonorum, quæ ex pretioſa vilipenſione, & regi cœlorum accreverunt, & indubiè accreſcent ei, qui in dicto itinere comes ei eſſe voluerit. Poſſet quis nihilominus in certis caſibus velle honorari, aut æſtimari, non obſtantibus omnibus quæ de humilitate dicta ſunt: nempe ſi oculum, aut reſpectum & intentionem habeat ad aliquod Dei obſequium, quod credit, aut videt ex hujuſmodi honore provenire. Sed eo etiam in caſu, expetere deberet cum timore, & nonnullo dolore quòd honorari oporteret, magnaque cautela.

Quomodo aliquis poteſt velle honorari?

Caput VII.

De inani gloria adversante humilitati, in quo continetur egregia consideratio, quæ universam vanitatem subvertat.

Abnegatio sui gloriam omnem inanem avellit.

Inanis gloria quid?

UBi de humilitate actum est, operæ pretium videtur, aliquid dicere de malo quodam frutice, seu herba, latè in mundo disseminata, quæ universas diruit virtutes, potissimum autem obsistit humilitatis incremento, nempe Inani gloria, matre universorum malorum, quæ omne bonum inficit. Modica aut nulla inanis gloria sese illi offerret, qui se ipsum abnegasset, aut odio haberet, modo quo habetur in sancto Evangelio, & in superioribus declaratum est. Nec enim aliud est inanis gloria, nisi complacentia aut gaudium, quod suscipit quispiam unde non debet, aut modo quo non debet. Rectè potest quis gaudere de bonis, quæ ex gratia Dei obtinet, qua-

quatenus inde videt, aut sperat aliquod Dei obsequium, aut animæ utilitatem (est enim idem utrumque, modò recte intelligatur, alioqui vanum est gaudium, & vana gloria : nobis enim gloriam assumimus, quæ soli Deo debetur : aut in nobis ipsis gloriamur, cum deberemus in Domino gloriari. Hanc itaque gloriam non assumeret, qui se odio haberet, ut jam diximus. Quisquis ergo sit, suspectum habere debet, ne vanum & non spirituale gaudium sit, quod habet de beneficiis quæ à Deo accepit, dum non eodem modo gaudet, considerans beneficia quæ alii acceperunt. Quanquàm enim, virtutem nobis primum eligere debeamus quàm aliis, & item gaudere, quòd cum decretum non esset ut nos simul cum illis ipsam obtineremus, contigit ut nos eam haberemus, attamen dum & nos, & illi, bonum obtinemus de magnifica Dei manu, de utroque æqualiter gaudet divina majestas, nec de- *Gaudium nostrum*

quale & in quo debeat esse? debet aliud esse nostrum gaudium, nisi in Deo, & eò quòd ipsius voluntas adimpleatur. Ita exultabat *Spiritus* Beatæ Mariæ Virginis *in Deo salutari suo.* Deus ac Dominus noster in nostra voluit situm esse voluntate, ut de omni bono quod quisque haberet, tantum gaudere posset, quantum cognosceret hujusmodi bonum & à Deo esse, & in Dei obsequium resultare: cùm autem hanc à Deo datam ordinationem egreditur, protinus inanis gloria sive gaudium vanum efficitur, hoc est, quod limites egreditur à Deo præstitutos, nempe quos deberet habere illud gaudium, quo de beneficiis ab eo acceptis gauderemus; & hæc dicitur vana & inanis gloria. Longè tamen pejor est inanis gloria quam habet quis de bono quod non possidet: & longè pessima, si gaudet de malo quod perpetravit. Adeò astuta est inanis gloria, quod frequenter opinabitur, qui adhuc virtute debilis est, se de bono quod

Luc. 1.

Inanis gloriæ graviores & diversi gradus.

quod habet in Deo gaudere, & tamen admixtum erit plurimum inanis gloriæ. Idcirco donec quis perſpectas habeat in ſe virtutes, ſemper fugere debet omne genus gaudij, aut complacentiæ, dum recogitat beneficia, quæ à Deo recepit, aut bona quæ habet, vel quæ de ſe audit: quin potius ſe deberet aſſuefacere, ut his temporum articulis metum aſſumeret, quo, dolore quodam ſuſpectam haberet inanem gloriam, quæ occultè admodum in his oriri ſolet.

Omiſsâ ergo nunc inani gloriâ, quam pejorem, aut longè peſſimam diximus, tanquam malo craſſiori, quam ut in viris ſpiritualibus inveniretur: ſed tantùm in perditis hominibus, nequaquam veri boni cupidis, quibus hæc non ſcribimus, ad priorem illam inanem gloriam revertamur, quæ ex eo bono oritur, quod quis habet aut facit, vel de ſe audit. Itaque illud, quod tantum malum poſſit faciliùs à nobis

aver-

aversare, existimo esse, considerationem ingentis vanitatis ac falsitatis, quam est in ea invenire: nemo est enim virtuti deditus, qui non oderit quod vanum & falsum est. Et adverte quòd toties vel tandiu posset quis considerare quod infra scribitur, ut ex magno usu id considerandi, tantum conciperet odium adversus hoc malum inanis gloriæ, quòd deinceps illa vix unquam ipsi se offerret. Est autem hæc consideratio. Turpe admodum esset si aulicus quispiam aut nobilis magni æstimaret, aut apud se gloriaretnr, quòd se parvo periculo objecisset, ob amorem & obsequium regis, qui rex antea, ratione illius, aut magno ejus amore, magnis periculis ac vulneribus sese exposuisset. Quòd si idem nobilis, non modò illud parvum, quod egerat pro rege cui tanta debebat, magni æstimaret, sed apud alios quoque de hoc se jactaret, esset tanto risu digna levitas, ut non mereretur de

Inanem gloriam quid fugare poteſt?

Exemplū ad fungandam vanam gloriam.

ea

ea verbum fieri: longè tamen magis abominanda vanitas esset, si rex ipse omnem illum laborem, & pericula pertulisset, absque ullo hujus nobilis auxilio, ipse verò nobilis parvum illud passus esset, magno regis favore & auxilio, magnis etiam promissis ante passum laborem beneficiis, & post perpessum illum parvum laborem adeptis. In abominandam autem hanc vanitatem, & incomparabiliter pejorem incidit, qui inanem sectatur gloriam. Siquidem excelsus Deus noster, rex incomprehensibilis majestatis, infinitæ potentiæ, ac honoris, sola sua bonitate, absque ulla obligatione, ingentem nostram necessitatem conspiciens, ad nostrum remedium sese asperrimæ, & ignominiosæ morti exposuit; ad quod non solum ei non fuimus auxilio, sed nec illi gratias habuimus: imò omnes qui cum eo erant ipsum deseruerunt, nosque magis ipsum deserimus defectu nostræ virtutis,

Christi Domini & Dei in nos bonitas infinita.

cum tamen nunc magis nota sit ejus divinitas. Cum ergo ita sit, agnoscamus quam vanum sit quempiam gloriari de obsequio quod Deo præstat, omittens eo tempore in solo Deo gloriari: & quantum vanius sit, ob id velle apud alios in pretio haberi, cùm eo tempore, quo cor illornm occupatur, dum nos alicujus esse pretij judicant, desinit occupari æstimando, & laudando Deum, à quo est omne bonum. Absit autem, ut cor, quod non occupatur, magni reputando ac laudando Deum, summum, cui omnis laus debetur, occupetur habendo me in pretio, cui nihil tale debetur. Debet autem haberi crimini consentiens, qui putat alios occupare corda sua in ipso laudando & æstimando, cum adeo vilis sit, cessando interim à magnificando Deo de omnibus bonis ac beneficiis suis: nec ipsum piget, nec dolet ei ob hujusmodi rerum inversionem. Quodque nostram plurimum

Nos æstimari, nõ nostrum solum sed aliorum etiam damnum est.

mum auget vanitatem est, quod quicquid facimus aut sufferimus, id omne nobis contingit benefici is & magnifica manu ejusdem Dei altissimi, cujus sublimi auxilio operamur. Et si dixerit quispiam, gloriosum cujus esse, ac meritorium hoc ipsum quod acceptat, & non rejicit Dei dona ac beneficia, & ita videri, quod hinc possit gloriam quærere, ad differentiam damnatorum, quibus pœna videtur deberi, quod non acceptarint. Huic respondemus, nunquam nos in hoc mundo vidisse hominem, qui inaniter de eo tantum glorietur, quòd beneficia à rege quopiam sibi facta acceptasset, sed dementia potius reputaretur, ea non acceptare, & ea est damnatorum dementia mala, quòd Dei beneficia non acceptarunt, cùm possent. Stultum est autem gloriari, quòd demens esse nolueris, alioqui posset quispiam præsumptuosè seu pomposè incedere, & causam rogatus, respondere, ideo se id facere,

Vanitatem nostrā quid aggravet?

re, quòd cum ſtultus eſſe potuiſſet, & in puteum inſilire, noluiſſet ea facere. Atqui talis ſanè omnium judicio ſtultus haberetur. Quantò magis is de quo loquimur: nam etiam quòd Dei beneficia acceptaverit, vel non rejecerit, potiſſimum illius habet auxilio. *Quid habes* (inquit D. Paulus) *quod non accepiſti si autem accepiſti, quid gloriaris?* Qui ergo hoc conſiderans in ſe gloriatus fuerit, firmiſſimum habet, ſe dementiſſimum eſſe ac vaniſſimum, omnique bono vacuum, & ita quantùm libuerit ſe jactet, ac glorietur in tanta dementia.

CAPUT VIII.

De patientia & de ratione illam comparandi ac conſervandi.

Humilitas & patiëtia ſorores.

ALtera virtus, quam ſupremus noſter præceptor vult ut ab ipſo diſcamus, eſt patientia, quæ humilitatis adeò germana eſt, ut propemodum ſemper junctæ inveni-

veniantur, & eiſdem viis, aut ſemitis quibus invenitur una, invenitur & altera. Quemadmodum enim ſupra dictum eſt, neceſſe eſſe ad obtinendã humilitatẽ, ut ante oculos ponamus humilitatem Filii Dei: ita debet idem fieri ad patientiam obtinendam. Quis conqueritur acceptis injuriis aut afflictionibus, ſi ſit illa commeritus, quemadmodum ſumus omnes commeriti, dum conſiderat quanta manſuetudine paſſus eſt, tot ad tantas exacerbationes, perſecutiones, amaritudines ac tormentã, unà cum morte acerbiſſima, is qui, præterquam quòd verùs Deus erat, omniumque dominus ex nobiliori complexione, ſupra ceteros omnes homines magis perceptivus erat afflictionum, magiſque delicatus? Quis manſuetè non ſuſtinebit, in remedium propriorum delictorum, occurrentes labores & anguſtias, ſi conſideret Deum ſuum longè majores ſuſtuliſſe pro alienis, hoc eſt, ut remedium adferret

ferret nostris malis? Modus autem assequendi hanc patientiam, latè supra descriptus est septimo documento. Verùm cum nunc in ipsius patientiæ capite versemur, præstat ut hoc loco magnæ opes latiùs proponantur, quas oportet ex quavis suborta impatientiæ occasione eruere, ad quod, exempli causâ, proponamus odiosum aliquid, quod nobis potest occurrere. Suspicaris ex modica quadam causa, dixisse quempiam aliquid de te mali, quod nunquam commisisti. Hac suspicione tria adversus animum tuum objiciuntur tela: primum pravi judicii, alterum laboriosæ impatientiæ, & tertium odii adversus eum quem id dixisse suspicaris. Porrò servus in arte militari regis cælestis industrius, debet tria hæc adeò periculosa tela ita excipere, & ab eis se tueri, ut à nullo ipsorum vulneratus, referat à quolibet illorum singularem animæ suæ pulchritudinem, ad magni illius regis gloriam, in cujus obse-

Suspicio causa trium malorum.

obsequium præliatur. Fiet autem hoc modo, Primo telo debet corpus subducere, inclinando voluntatem ne illud accepter, consentiens tali judicio, sed considerans nobis vetitum a summo judice, ad quem solum id pertinet, qui ait: *Nolite judicare.* Magno ergo gaudio debemus id relinquere: nec illius officium nobis usurpare. Secundum telum debet omnibus viribus excipere, gaudens ex dolore & injuria quæ inde provenit: & quantò magis visus fuerit de eo gaudere, tantò minus ipsum diabolus de impatientia impugnabit, ne tanti meriti præstet ipsi occasionem. Ut autem de secundo telo possit ita contingere, operæ pretium erit ad caput de sui ipsius odio recurrere, ut ex iis quæ ibi dicuntur vires ad hoc assumat. Tertio jaculo, nempe odio adversus eum de quo habetur suspicio, aut certa fortassis notitia, quòd hoc dixerit, debemus occurrere, inclinando voluntatem, ad producen- dum

Temerariũ judicium nõ admittendum.

Matth. 7

De injuria nobis illata gaudere debemus.

Odium in aliũ, amoris in illum jaculo retundi debet.

dum singularem actum amoris ad illum, cum liberi simus, divino assistente auxilio, ad volendum quicquid libuerit, & operi nostro finem imponendi qui placuerit, veluti sexto documento declaratum est. Et quemadmodum visum est, nos debere nobis providere adversus prædicta tria jacula, ex modica illa occasione orta: ita pari modo nos habere debemus ad omnia jacula, quæ in vita nostra nobis occurrent in omni re adversa, vel pœnam adferente, quò eò modo ad singula nobis prospiciamus, ut in anima nostra semper illæsa permaneat patientia, utque uno verbo concludatur, meminerimus à Christo dictum esse, *patientiam possidere animas nostras*. Certus esto quòd cum ille determinaverit patientiam habere in ipsa possessionem, quòd illa deficiente, relinquitur anima veluti jam erdita: neque enim à Deo alium obtinebit possessorem, si hunc sibi eripi permiserit, neque à se alium habe-

Animæ custos patiētiā est.
Luc. 21

Illæsâ patientiâ, salva manet & anima.

habere potest qui bonus sit. Itaque in summo est periculo, ne à quovis captiva ducatur, cum leo ille rugiens nunquam dormiat, sed semper circumeat plurimos devorans, non tamen hujusmodi possessores, aut eos qui a patientia possidentur. Beatos ergo mites ac pacificos dixit is, qui largitor est beatitudinis. *Matt. 5.*

CAPVT IX

De quatuor animi affectibus, quo pacto duci, gubernari, aut abjici ipsos oporteat.

GAudium, Tristitia, Spes ac Timor sunt naturales quidam animi affectus, qui in singulis nostrum inveniuntur. Naturale enim est ut quisque de præsenti bono gaudeat, de accedente malo tristetur: futurum speret bonum, ac metuat malum. Id ergo est, quod de his affectibus ad Deo serviendum est dicendum, quo pacto *Affectus animi quis.*

eos

Affectus animi coerceri debent.

eos frenari & cautè duci conveniat. Plurimùm enim mali inferre poſſent, ſi effrenes vel liberi in nobis relinquerentur, eò quòd nunquam in anima noſtra vagari ſeu diſcurrere deſinant, nunc hic, nunc ille, vereque dici poſſit omne noſtrum malum hinc oriri, quòd hi effrenes diſcurrere permittantur. Nam & in viris ſpiritualibus non parum damni inferunt, quantumvis leviter in ipſis incedant. Annotandum eſt autem, quòd ſi quis omnia interiora & exteriora propter Deum operaretur, eo modo quo ſecundo documento dictum eſt, rurſumque ſui ipſius odio duceretur, ut ſecundo capite hujus ſecundæ partis dictum eſt, is magno moderamine hos affectus retineret. Quare hic pauctioribus procedemus; adnotantes, hos affectus, tunc dici debito moderamine haberi, quando nulli ipſorum motui in anima hærenti aſſenſum præbemus, niſi quem ſcimus Deo placere, & ex quo

Nullis affectib9 aſſentiendū niſi eis quos ſcimus Deo placere. Boetius.

quo gratum ſuſcipit obſequium: alioqui ſemper debent ablegari ab ejus animo, qui ſecuro itinere ad Deum tendere cupit, quemadmodum Boetium docuit Philoſophia, ultimis lib: 1. de conſolatione verbis, ubi ſic habet: *Tu quoque ſi vis, lumine claro, Cernere verum, Gaudia pelle, Pelle timorem, Spemque fugato, Nec dolor adſit.* Eſt autem intelligendum, hos affectus pellendos, cùm eò non diriguntur, ut in ipſis ſit reperire divinum obſequium. Ut autem facilius poſſimus eos repellere, ſciendum nobis eſt, in veris malis reponenda eſſe quævis gaudia, quæ ab hoc mundo nobis ingeruntur, idque ex cauſa quam poſtea ſubjiciemus. Atque hinc conſequitur, omnia quæ dolorem adferunt, in veris bonis eſſe reponenda, cùm his, tanquam ſalutaribus afflictionibus, curentur animarum noſtrarum vulnera, atque ob varia quæ hoc ipſo capite frequentius recenſentur. Sanè is qui hæc rectè

Affectus animi quomodo coerceri poſſunt?

intellexerit, & adimpleverit, facilè peraget id quod hic habet Boetius, & quæcunque variis hujus capitis locis in subsequentibus ponentur. Plurimùm autem ad hoc subservit positum supra sextum documentum. Singulatim tamen & breviter ad hos affectus transeuntes, inchoando à gaudio, notabimus, de nullo nobis esse gaudendum, nisi de Deo & iis quæ Dei sunt: qualia sunt, quæcunque nos ad ipsum dirigunt. Cujus ratio est: nam qui in Deo, & his quæ Dei sunt, tantam habet materiam gaudiorum, admodum incircumspectus est, si interim animum occupat, de quavis alia re gaudendo, cùm tantò debiliores sint nostræ vires ad gaudendum & amandum, quantò magis in varia gaudia & negotia dissecantur. Deberemus etiam animadvertere, quòd quantumvis nos totos Deo dedamus, quò ad ipsum solum non perficiamus, quantò minùs si & in alia distrahamur? Omninò ergo unum ho-

De quo sit gaudendum?

hornm duorum faciendum eſt, ut vel quodvis aliud gaudium, ſtatim ut ſe inſinuaverit, repellatur: cui rei opportunum erit, quod ſexto documento ſcriptum eſt: aut ut in Deum ordinetur, modò vanum non ſit gaudium: ad quod ſervit ſecundum documentum prius poſitum. Eos ergo qui ita ordinant ſua gaudia, D. Paulus admonet dicens: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.* Ad hoc autem cautè proſpiciendum eſt. Indies enim, innumera minimi momenti ſeſe offerent gaudium adferentia, à quibus homo debet ſtatim ſe extricare. Nec puto neceſſarium hic exemplum adferre. Datur enim hic canon in genere de omni gaudio, quod non eſt in Deo, aut actu in Deum refertur. Magis tamen penſitando quicquid de his prædictum eſt, quò vividius id ſentiamus, notandum nobis erit; quòd ſi abjectioni, & vilitati ab omnibus tribuitur, ut rex quiſpiam præpotens divitiis, maximi æſti- *Phil. 4.*

 maret

maret minutum aliquod frustulum argenti, sic, ut illud lucrifacere plurimùm gaudii ipsi adferret, ipsius autem jactura eum maximè affligeret, & tristissimum redderet, longè major est nostra abjectio, si, cùm semper præsentia habeamus infinita bona, quæ Deus sibi ipsi, ac nobis possidet, de quibus gaudere debemus, de aliis nihili rebus sese nobis offerentibus gaudeamus: qualia sunt, quæcunque hujus mundi sunt, potissimùm cùm ipsum magis quam nos ipsos amare debeamus, & ita ipsius gloriam majoris æstimare, quàm nostram, etiam si sciamus quòd illam magnificè partietur hæc facientibus. Eodem modo loqui possumus de eo, qui dolet ob quamcunque mundi rem, quæ contingere, vel deperdi potest, nisi peccatum sit, aut peccatum inducat, ut similiter dicamus, magnam esse abjectionem de hujusmodi dolere, cùm præ oculis tantam habeat gloriam veluti dictum est, ob quam

Dolendū non nisi de peccato aut re peccatū inducente.

quam semper gaudere debeat. Proderit autem hoc postremum, etiam ad id, quod statim de affectu doloris dicturi sumus. Itaque de tristitia aut dolore, pari modo dicamus, quod nullam tristitiam aut dolorem in anima nostra moram facere sinamus, nisi quæ ob peccatum orta est. *De nullo*, inquit Bonaventura, *doleas, nisi de peccato.* Cujus ratio hæc est: nam tristitia aut est de malo præsenti, aut de amisso bono: cùm ergo nullum verum malum aut amissum bonum esse possit, nisi ob peccatum, de alio nullo contristari debemus. Possumus præterea addere, quod de gaudio dictum est, quòd cui tantum malum adest, de quo doleat, ut est peccatum, inconsideratè admodum agit, si vires suas dividens de alia quavis re doleat, cum non sufficiant omnes ejus vires, ut de peccato tantum doleat quantum deberet. Ad hæc, quò sublimius dolorem à nobis repellamus, considerare debemus, & omni

S. Bonav.

Cur dolere non debemus nisi de peccato?

Dolor quomodo expellendus?

omni occurrente tribulatione dicere: Ut quid mihi major est mei cura, quàm Dominus Deus cupit ut mihi curæ sit? cum meus non sim, sed suus: ipse autem, ejus quod suum est, curam habet, sciens quid expediat ut ipsi contingat. Hoc est quod per hæc innuere volo, quod quicquid pœnale nobis contigerit, gratum nobis contigerit, gratum nobis esse debet, tanto tempore quanto nobis duraverit, tanquam de re huic homini, qui Dei est, congruente, neque de eo amplius dolere, quàm Deus, cujus sumus, jubet ut doleamus. Si autem roget quis, quantum velit Deus ut doleamus? Respondeo; ipsum velle, ut tantum habeamus dolorem, quantum casûs acerbitas cogit ut sentiamus; sic tamen, ut de hoc ipso dolore tantum gaudeamus, quantum duraverit, tanquam de re quæ provenit à manu Domini, utque per hoc ipsum gaudium, curemus abigere dolorem, secundum quòd ca-

Quantū dolendū sit?

sus

ſus exegerit, & modo, quo novimus ac putamus Deum velle, ut procuremus, & quia ipſe hoc vult: uno enimmodo convenit liberari à labore egritudinis: procurando videlicett ad hoc catapocia aut lenitiva: alio modo à moleſtia famis, nempè per cibum: alio item modo à fatigatione frigoris, ad quod neceſſarium eſt veſtimentum. Rurſum alio modo à moleſtia perſecutoris, dum ob debilitatem noſtrarum virium ac virtutis impedit nos à cultu divino, ad quod neceſſarium eſt, ut totos nos virtuti dedamus, quò per eam vires accipiamus: aut ut perſecutorem fugiamus, dum amplius non ſufficiunt vires noſtræ, vnà cum eo quod Deus nobis ad hoc inſpiraverit. Hæc tamen remedia, unà cum aliis omnibus, quæ etiam neceſſaria fuerint, procuranda nobis ſunt læto moderamine: & quia Deus vult ut ea procuremus, quò talibus moleſtiis liberati, majori quiete ipſi ſerviamus, quanquam
 ne-

necesse fuit illas pati, quamdiu eas excutere nequivimus : utque ob ipsas gauderemus, eò quòd voluit Deus ut illas sustineremus, multas ob causas : quasdam manifestas, alias autem nobis occultas. Nescio sanè, quo pacto Deus, etiam in hac vita, totum se non tradat ei, quem ita totum assumpsit pro suo. Cum autem certum sit, quòd se illi tradet, beata erit hujus vita; nam cùm Deus adeò sit futurus illius, gaudebit semper de tanto suo bono & gloria, tanquam de propriis divitiis. O beatum populum, qui novit hanc jubilationem! neque enim ulla sunt verba, quibus manifestari possit gaudium, quod in corde suo sentit is, cujus anima non verbo, sed toto corde suo dicit: *O quantum possideo bonum, cum Deus qui mihi magis est ego, quam sim ipse ego, adeo infinitum possidet bonum, quem tam video, & si imperfectè, sentio tamen, & pro me teneo, magis quam unquam quicquam pro meo tenui, seu possedi.* Absit à nobis, ut hoc

hoc credamus verbis explicari posse, sed duntaxat ad nostrum propositum concludamus, tantum bonum, debere nos plurimum movere, ne alio modo nostros sentiamus dolores, nisi prout nunc diximus, cum nos aliud nihil nobis ipsis cupere debeamus, quàm majestas illa ordinaverit, & modo quo disposuerit, idque ratione & modo prædictis. Expedit autem, ut diligentissimè expendamus singula verba, quæ nunc dicta sunt, eò quòd sint maximi ponderis, & magnam cõtineant perfectionem. Providus ergo esse debet Dei servus, ut prædictis considerationibus, statim à se ableget innumeras pœnas, ac tristitias, quas hujus mundi miseriæ ac displicentiæ obtrudent. Ad quod sunt admodum necessarij actus sexto documento explanati, statim objiciendo ipsum nolle, ut ibi dicitur; idque toties, quoties talis tristitia aut dolor occurrerit: aut, ut rectius loquamur, voluntate quisque occurrere de-

bet, ut ea concupiſcat, unde oriuntur illi dolores, pœnæ, & afflictiones. Nam dum hæc concupiſcuntur ceſſat dolor, qui primùm ideo ortus erat, quod hæc odio haberentur. Eſt autem æquiſſimum, ut ea concupiſcamus, unde nobis contingunt hujuſmodi moleſtiæ:
Iob. 1. tum quod de manu Domini proveniant, ut dixit S. Iob: tum quod noſtris peccatis ea promereamur: tum quòd inde plurima nobis contingunt commoda. Itaque ex his, tanquam certa conſequitur regula, quod fidelis Dei ſervus & amicus, adeò deberet, aut expellere, aut ad Deum dirigere gaudium, & triſtitiam, modo quo dictum eſt, ut nihil aliud ipſum occupare poſſet præter Deum; ut quò perfectè illud expelleret, in conſuetudinem venire conaretur, ad ſuſcipiendum aliquid pœnale: & quoties aliquod delectabile, ſeu gaudium adferens contingeret, ad producendum actum doloris, ſeu triſtitiæ: rurſum è diverſo ad gau-

den-

dendum, quoties aliquid pænale ei contingeret. Et sanè justissimum est, ut occurrente dolore gaudeat, & gaudio occurrente doleat, qui Deum offendens, & illum ab anima sua expellens, tradidit illam diabolo. In hunc modum intelligendum est, quod dici solet: Gaudium pro pæna, dolorque pro gaudio sint tibi semper. Porrò, solus is perfectè illud adimplebit, qui apertiùs cognoverit, omnia in se, & quo ad nos nihil esse, nisi quatenus ex se, aut a nobis in Deum diriguntur. Et quanquam universi hoc se scire dicant, beatus tamen est in terris, qui istud perfectè cognoverit, & in veritate senserit.

Gaudio dolori, & dolori gaudio medendum.

Quoad Spei affectum, considerandum est: hunc non idem esse cum virtute quæ Spes appellatur: siquidem ea quæ virtus est, non omnibus contingit; eam verò quam dicimus animi affectum, habent omnes: adeò ut naturalis sit, tàm Christianis quàm ethnicis, in tantum

Spei discrimen.

tum, ut quemadmodum his & illis naturale esse videmus gaudere, ac metuere, ita ethnicum varia sperare videamus, sicut & Christianum. De hac igitur spe, quæ non virtus est, sed affectus omnibus contingens, id annotemus: quòd etsi inclinati simus, ut plurima frequenter speremus, nihil tamen quod speramus, in corde nostro residere debet præter Deum, & ea per quæ magis putamus, nos Deo appropinquare, ut Deo serviamus: quicquid enim reliquum est, pro nihilo reputare debemus, veluti nunc dictum est. Quod si spem cujuspiam rei, videamus, magis figi in corde nostro, quam beatitudinem aut virtutes, qnas à Deo speramus, statim hanc expelli oportet, cùm apertè id contra debitum fiat ordinem. Pari modo de timore sentiendum est, quòd omnis ille sit relinquendus, qui de Deo non est. Cujus rationem assignat regius Propheta dicens: *Dominus illuminatio mea, & salus mea,* quem

Nihil sperandũ præter Deum.

Timor omnis abjiciendus qui ex Deo non est.

Psal. 26. Matt. 10. Luc. 12.

quem timebo? & post longa tempora, ipse Dei Filius: *Nolite timere eos qui occidunt corpus: timete autem eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Plurimùm, inquit, metuere debetis Deum offendere, aut ad iram provocare: non potest autem magis ad iram provocari vel offendi, quàm si peccato vestro detis ipsi occasionem, ut corpus unà cum anima mittat in gehennam. Atque hinc est quod ait: *Heu vindicabor de inimicis meis.* Iustissimum ergo est, ut hic Deus magnus, ita timore filiali timeatur. Siquidem magis optandum nobis esset, ut nobis eruerentur oculi, quàm aliquid cõmitteremus, quod tanto patri ac Domino displiceret. Imò, & alio quovis timore debet solus ille timeri, cum solus ille possit, vitam & mortem æternam inferre. Cætera omnia non est quòd timeamus. Nam etsi in nos irruant, quæcunque mundi sunt calamitates, si eas non metuimus,

Esa. 1.

Solus Deus timendus.

mus, nullo malo nos poſſunt effi-
cere, quod verè malum dici poſſit. Quin potius ſi audacter illis occurrimus, gratoque animo illa recipimus, eò quòd Deus ac Redemptor noſter cupit ut illas toleremus, in memoriam eorum quæ ipſe pro nobis ſuſtinuit, augebunt in nobis dignitatem gloriamque perpetuam. Itaque in hoc præparati, ut nihili reputemus, aut potiùs, ut in pretioſum ornamentum æſtimemus, quicquid moleſtiæ in mundo eſt, ſi timor quiſpiam in nobis irrepſerit, ſtatim voluntate occurramus, ad ipſum repellendum, ne locum occupet: in quo Dei timor reverentialis, nobis neceſſarius, ſemper locari debet. Ad hæc quoq; operæ prætium eſt, uti ſexto ſupra poſito documento. Profectò qui has animæ paſſiones ita rexerit, ac coercuerit, ſine paſſione vivet, illa pace abundans, quæ pacificos appellari facit Dei filios.

Matt. 5.

TER-

TERTIA PARS HUIUS libelli, de amore Dei & eorum quæ ille amari jubet, cujus gratia omnia priora præmissa sunt. Continet autem tria capita, nempe de Dei, proximi, & sui amore.

CAPUT I.

De Charitate, quæ est Dei amor, quanta sit? & quomodo ad eam perveniatur? ac instructione quis in hoc falsa imagine decipiatur?

QUum jam propositus sit modus, quo animæ nostræ clades seu strages reparetur, æquum est, ut nunc de Dei amore loquamur, nempè igne quodam, quem semper ardere vult Deus in altari animæ nostræ, ad quem amorem dirigebatur prædicta reparatio, ut in ejus initio dictum est. Quòd si quis noverit, quantæ dignitatis sit hic

hic amor, videbit parum esse quicquid de animi reparatione dictum est, qua tam sublimis res peragenda est. Siquidem tantæ excellentiæ est amor Dei, ut nemo beatorum, & quicquid creatum est, aut creari potest, opus ullum sublimius operari possit. Propter quod, ipse Dei Filius, vocat hoc maximum & primum mandatum. Imò etsi omnis conatus, ac vires Angelicæ simul & humanæ, in uno Angelo, vel homine agglomeratæ essent, non sufficerent hujus vires ad operandum quippiam sublimius, quàm sit amare Deum. Neque solùm non potest peragi opus sublimius, sed nec sufficere potest, quicquid creatum est, aut creari potest ad hunc Deum amandum, ea perfectione, quam exigeret ejus bonitas ac dignitas. Quòd si adeò gloriosum, aut (ut ita loquar) gaudiosum est, istud verbis exprimere, quanti gaudij, ac gloriæ erit, re ipsa sentire, & longè magis, hoc ipsum operari. Hoc est sanctum

Matt. 22.

Charitatis excellentia.

ctum Dei opus, de quo loquitur Beatus Pater Franciscus in regula, adhortando fratres, ut super omnia desiderent habere spiritum Domini, & sanctam ejus operationem. Hoc sanctum opus, quod Deus semper operatur totis ac infinitis suis viribus, est, se ipsum tantum amare, quantum sua majestas promeretur, seu digna est, hoc est infinitè. Nam ex sua infinita bonitate & excellentia, est infinitè amabilis, neque ulla est in cœlo, aut in terra excellentia, quæ non magis sua sit, quàm ejus qui eam possidet, & ex omnibus gloriam habet infinitam, eamque amat, & in ea gaudet, ac gloriatur, vultque ut hoc amemus, recogitemus, & de eo gaudeamus, cùm æquitati nihil sit adeò consonum, quàm ut omnibus viribus, omnes amemus ac diligamus eum, à cujus amore nunquam cessare deberemus, etiam si nobis vires essent infinitæ. Deo ergo gratias agamus, quòd se infinitè amando, suis viribus suppleat,

at, quod à quolibet nostrum ipsi debetur. Semper illum amando gaudeamus, qui tantæ dignitatis est, ut nunquam omittentes de ejus excellentiis gloriari, nihil sit quod agimus, si ad id conferas quod meretur sua dignitas. Tantæ si quidem est Deus majestatis & gloriæ, ut nihil ipsi sit opus nostris obsequiis. Quòd si illa requirat, id facit, quòd hoc nobis utile sit. Id tantum cupit, ut ipsum amemus, & de bonis ejus gaudeamus, hoc enim est sanctum ejus opus. Vult ergo ut singuli totis suis viribus agant, quod ipse suis agit: quod reliquum est, ipse eo non indiget, imò ne hoc quidem, nisi quod bonum & justum sit, nobisque gloriosum: atque idcirco in tantum id expetit, ut ob id animam suam posuerit, quò moriens nos ad ipsum amandum provocaret. Porrò quòd in scripturis sacris alia inveniamus, quæ nobis ab ipso jubentur, & expetuntur, hoc ideò fit, quòd adminicula sint

Deus quid à nobis postulet?

ad

ad amorem, & ea omittere magnum esset obstaculum ejus amori. Neque enim aliud sunt vitia quæ prohibentur, nisi amor inordinatus rerum vanarum, quæ locum solius Dei amori deputatum occupant. Neque ad aliud serviunt virtutes, nisi ut ad hunc amorem animam disponant: sunt tamen ad ipsum adeò necessariæ, quòd magna esset præsumptio, putare illum assequi, absque magno ejusmodi virtutum exercitio. Omnia autem quæ hîc dicta sunt, latius in sequentibus explicantur.

Vitia quid sint? & cur prohibeantur?

Virtutes ad quid prosint?

Ut ergo de hoc sancto & pretioso amore loquamur, operæ pretium erit initio explicare varium modum amantium, simul judicando eum qui sublimior est, quem etiam aliquo paradigmate proposito investigare debemus. Pro hac itaque amantium varietate, annotandum nobis est, id quod multorum experientia, cum ad majorem pervenissent veritatis cognitionem, testimonio fuit; nempe quòd lon-

Amantium Deum varie species

go tempore Deum amaverint, tanquam dulcem, suavem, & qui se communicaret, benefactorem, in cujus etiam obsequio delectabantur; frequenterque ab eo varia dona petebant, magna cum delectatione contemplationis magnificentiæ ejus, simul & cognitionis excellentiæ virtutum, quas ab eo postulabant: sæpiusque ad eum accedebant, tanquam ad fontem, in quo tantam suavitatem inveniebant, ut opinarentur nihil deesse huic amori, sed plurimùm inesse sublis meriti in qualibet rerum prædictarum. Siquidem opinabantur magnitudinem suavitatis ac dulcedinis, quam in sensitivo appetitu percipiebant esse amoris magnitudinem. Atq; utinam quicunque Deum non amant, vel sic eum amarent: Absit tamen, nec permittat ejus majestas, ut qui ipsum amant, hoc amore contenti sint, etiam si bonus sit, adeoq; bonus, ut sufficeret ad hoc, ut ad dies aliquot, se in eo exercerent incho-

Deum amare sensitivo amore non satis est.

choantes; facilè enim ex hoc pervenire possent ad sublimiorem, quem statim tradемus. Experimentum, quòd fragilis sit ille amor quem prædiximus, est quòd is qui sic amat, protinus ubi deest aut discedit illa dulcedo, incedit dejectio admodum animo in his quæ Dei sunt, adeoque vincitur animi fragilitatibus, ac si nihil propemodum habuissent illius amoris. Siquidem tamen procurat delectationes corporales, nempe suaviter edere, bibere, aliaque vana, & suo appetitui servientia, amicitias sensuales, honores ac favores (quanquam non eo gradu quo mortale peccatum inducerent) quantum alius qui nondum gustare cœpit quæ Dei sunt. Imò etiam frequenter, tempore quo dicta dulcedine visitatur, nonnullis capitur vanis affectionibus, & quæ interdum sunt non parum sensuales, tractus lepôre vel pulchritudine quarundam personarum. Rursum cupit videri, ac devotus habe-

Deum sensualiter amāti quid accidat?

Amoris in Deum sensitivi proprietates.

haberi, doletque dum percipit se non pro tali reputari, neque gaudet, dum intelligit, alios haberi devotione ferventiores, aliasque similes contrahit maculas, quæ omnia sunt adeò abjecta, ut ea secum non compatiatur sublimis ille amor, de quo statim dicturi sumus: etiam si dulcedinem illam non habeat. Concludamus igitur, hujusmodi amorem esse fragilem, cum sit amor ejus qui amat ob propriam utilitatem ac dulcedinem. Explicemus tamen ejus excellentias. Nam etiam si ipse fragilis sit, nihilominus ad duo plurimùm utilis est. Primùm, quod is qui illum possidet, facilè poterit à se abjicere prædictas maculas, & rerum vanarum amorem. Secundum, quòd talis proximè dispositus erit, ut multos producat actus sublimioris amoris (de quo statim locuturi sumus (ubi ad illius cognitionem pervenerit.

Amoris sensitivi utilitas.

Alius est amor sublimior, ad quem nonnulli pervenissent, si ejus

jus habuissent notitiam, & quantò amplius quis de eo obtinuerit, tantò ejus anima mujoris erit perfectionis. Hunc amorem magis describi convenit verbis, quæ declarent, quid nos facere expediat, ut illum acquirere ac retinere valeamus, quàm dulcibus verbis quæ suavitatem, ad modicum tempus inducant. Non quòd significare velim, amorem ad Deum crassis, quibus utimur, verbis exprimi posse, sed quòd certum sit, eum qui fuerit assecutus amorem qui verbis exprimitur, sublevandum à dulci amatore ad illum, quem humanæ vires explicare nequeunt. Quædam autem hujus amoris nunc trademus. Primùm autem, quid sit? Et quantum ex sacro Evangelio, unà cum sanctis Doctoribus colligere licet, dicimus esse opus quoddam, vel actum quem producit voluntas, fortiter interdumque cum dulcedine, diligendo, seu cupiendo ut Deus sit, id quod est, possideat tamen

Amor perfectus in Deum verbis exprimi non potest.

Amor perfectus in Deum quid sit?

tantam gloriam, tantumque dominium, ac potentatum, quantum re vera possidet super nos, & super omnia, & quantum sibi ipsi habet: rursumque, ut quicquid est vel esse potest, amet ipsum, serviat ipsi, ac glorificet, ob solam ejus infinitam bonitatem & dignitatem, & quatenus ejus majestatis excellentia exigit, ut totis viribus id agamus. Hæc verba profundæ sunt intelligentiæ, in quibus debet indies frequentissimè meditari, quisquis verè amat, ut recogitet quis sit Deus, & de hoc delectetur, rursum ut recogitet, quantam habeat gloriam, quam universale super omnes nos dominium, & de hoc gaudeat quemadmodum gaudere solemus de nostrorum amicorum dignitate aut dominio. Ad hæc, optemus, ut quicquid est in rerum natura, ipsi obsequatur, eum amet, id mille modis cupiendo, ac centies millies procurando. Præterea, mentis discursu mille modos gloriæ, magnitu-

Deum perfectè amanti quidquotidie cogitãdum.

Amãdus est Deus

gnitudinis, & obsequii quæ Deo debentur meditando, ut ej omnes illos optemus, atque hæc omnia quia Deus est, & ob solam ejus bonitatem. Nam id ostendit omnis æquitas, quòd tantum Dominum amare debeamus modo excellentissimo, qui excogitari potest. Cùm ergo nullus sit finis sublimior quàm ipsemet Deus, qui dicitur & est omniumprincipium ac finis, consequitur, quod amari debeat, non potissimùm ob id quòd ab eo recipimus aut expectamus, sed propter ipsummet, qui est infinitè amabilis. Hoc, inquam, volo, quod plurimùm annotandum est, ut voluntatem nostram ita assuefaciamus, quod & nos præsentiamus, ut moveatur ad amandum, utque delectetur in gloria ac divitiis Dei sui, non quòd dulcedinem percipiat ex ejus amore, neque ob dona, quæ vel ab eo percepit, vel in posterum sperat percipere, sed ut his veluti oblivioni traditis, amet illum tan-

solum quia Deus est, & propter ipsum tantum.

quam dignissimum qui habeat omnes voluntates Angelicas, & humanas in hoc occupatas, ut velint, ac delectentur, quòd illa majestas habeat omne bonum quod habet, etiam si nihil inde ad nos rediret: quanquam, sanè tantò amplius ad nos redibit, quantò magis ipsum sine proprij boni nostri intuitu amaverimus. Porrò hic sanctus amor, initium habet, progressum, ac perfectionem. Et quanquam initio non magna sui signa edat, quæ in anima sentiantur, est tamen etiam tunc maximi pretij, dabitque sui indicia post paucos dies, ubi incrementa assumere cœperit. Hujus amoris experimentum certumque indicium est, quando amans æquè Deum amat, cum ille se asperum exhibet, atque dum se dulcem præbet, æque dum misericorditer beneficia præstat, sicut dum ex justitia castigat. Non amat qui ejusmodi est, eo quòd Deus sit dulcis ac suavis, amat tamen dulcedinem ac suavi-

Amoris sancti & perfecti tres gradus.

Amoris veri ac perfecti indicia.

suavitatem, eò quod à Deo tribuatur, præbetque ipsi animum ut diligentius ei serviat. Castigatione non terretur, sed ipsam eo amore suscipit, quem expetit pia ac regia manus inferentis. Non supplicat, aut postulat attractus desiderio, aut suavitate petiti beneficii, sed ut anima sua virtutibus ditata, viribus augeatur, quòd ipsi Domino, qui ea præstat beneficia, diligentius ac ferventius serviat. Non indignatur, quod interdum videat se consolationibus desertum, dolens tamen, si quippiam in ipso sit, quo tantæ majestatis oculos offenderit, atque adeo sit ab eo separátus. Non postulat, ob id sibi ignosci, quò pœnam evadat, aut perditam gratiam seu virtutes, vel jus ad gloriam recuperet, sed quo anima ejus, accepta venia, sit Deo gratior, illumque amet, ac pure serviat, summo Deo suo creatori. Non habet qui ejusmodi est, ullam affectionem quæ cor aliorsum trahat. Non meminit,

Amoris in Deum perfecti ferventes effectus.

nit, neque advertit utrum homines de eo cogitent. Non dolet, cum advertit se nullo in pretio haberi. Fugit, ac tristatur, de exhibitis sibi honoribus, metuens ne sibi impedimento sint ad humilitatem. Gaudet de bono & de honoribus aliorum, existimans quòd illis tanquam fortioribus, etiam honores erunt auxilio, ut ferventiùs Deo serviant, cupientes absque ulla vanitatis fictione, ut alii à se bonorum operum exemplum sumant. Qui talis est, omnia habet, & nihil habet, omnibus sese submittit, & omnes ei serviunt: omnem fugit suavitatem, & nihil sentit nisi quod ipsi suave est. In Deo summo, quem amat, cognoscit quicquid ipsi faciendum aut cogitandum est, idque propter illum solùm facit, dicit, aut cogitat. Beatus est qui sic amat: hujusmodi enim vivens, non est is qui vivit, sed Christus est qui in eo vivit, dans illi ut vita divina vivat. Hic se amando, non

Galat. 2.

non ſeipſum amat, ſed amat altiſſimum, cujus amore quodvis bonum deſiderat. Quoniam autem exemplis res apertius exprimitur, operæpretium, erit, ut unum hic proponamus, ex quo, quantùm poſſibile eſt, conſpicere poſſimus, quando Deum modo ſupradicto amamus. Sit quiſpiam filius, patrem habens virum admodum probum, ſed quo ad temporalia pauperem, & obſequio egentem, à quo filius nihil bonorum expectet, nec eo egeat: at ſervit hic filius patri, intantum ut omne gaudium ac delectationem ipſi cupiat, potiùs quàm ſibi, magiſque gaudet in patre delectari, quam in ſeipſo, & omnia honorem & gaudium ſpectantia, quæ facit aut quæ ipſi offeruntur, intantum gaudet quòd offeruntur, quantùm putat patrem inde gaviſurum: atque e diverſo, ex occurrentibus ſibi afflictionibus, magis affligitur ob dolorem quem inde concipiet pater, quàm ob ſuam ipſius pœnam.

Exemplũ amoris perfecti.

nam. Ita ut dum hic filius ægrotat, majorem pœnam sustinet, ob afflictionem & dolorem quem videt patrem perpetientem, videndo filium ægrotantem, quam ex suo ipsius dolore: cumque redit sanitas, magis gaudet de gaudio, quod inde concipit pater, quàm de ipsa sua sanitate. Pari modo, in rebus coram mundo adferentibus honorem, quemadmodum sunt præstita à se stratagemata egregia militiæ, aut scientiæ, cupit ea cum laude peragere, ob id, quòd pater hæc prospicit, & de his gaudet, magis quàm ob suum ipsius honorem: atque è diverso si hæc non debitè exequeretur, pœnam inde perciperet, magis ex eo quòd pater tristaretur, quàm ob sui vituperium. Omnem hanc voluntatem & amorem habet hic filius erga patrem, providens ipsi in omnibus quæ illi necessaria sunt, non alio intuitu, quàm ob magnum amorem, quem ab infantia habet erga patrem suum. Hoc exem-

xemplum deberet indies frequenter animo revolvere, saltem ad duos aut tres menses, is qui Deo servire incipit. Nam in eo declaratur, quantum nostro servit proposito, modus amoris veræ amicitiæ, non proprium venātis commodum; quem nos servare convenit. Pater noster æternus est Deus, nos autem ejus filii ex magnifico ipsius dono. Hic nostris bonis non eget, nos verò ejus bonis carere non possumus: modo longè diverso ab illo patre cùm ejus filio. Nam ibi pater egens erat, filius verò ejus protector, atque ob id tantò magis æstimandus erat illius filii ad patrem amor. Nos ergo gaudeamus, quòd tanta sit æterni patris nostri majestas, ut nostri nequaquam egeat; cognoscentes, longè majorem esse nostram ad ipsum obligationem, quàm illius filij ad patrem suum, sit noster amor saltem sicut illius filii, nostramque animam eò subigamus, donec gaudium nullum

Accommodatio exempli amoris perfecti.

ſentiat de omni bono quod agimus vel expectamus, niſi quatenus intelligimus Deo per hoc præſtari obſequium. Et quicquid egerimus, fiat magno cum gaudio, eo quod exiſtimamus & revera ita eſt, quòd majeſtas illa id gratum habet: & omnis dolor, quem ex peccati infirmitate ſentimus, ſit ob id, quod eſt contra illius voluntatem. Atteſtatur autem propheta in pſalmis, gaudere Deum ex
Pſ. 149. noſtro obſequio. *Beneplacitum eſt*, inquit, *domino in populo ſuo, & exultationes Dei in gutture eorum.* Et quòd ex peccato noſtro, veluti dolens ſe habeat, oſtendit ſcriptura dicens: *Pœnitet me feciſſe hominem.*
Gen. 6. Advertendum nunc eſt, quòd ſi adverſarius humani generis ſervos Dei impugnare ſolet, quacunque in virtute videt eos velle proficere, longè amplius eos impetet, dum eos conſpexerit venari ſummum hunc amorem, de quo diximus. Inter varias autem impugnationes, ab una admodum ſecreta,

Deũ perfectè volentibus amare, Dæmon multũ in modũ inſidiatur.

creta,

creta, sed plurimùm damni inferente, plurimi sunt oppugnati, de qua nunc mihi dicendum est, nempe Tepiditate & animi refrixione, quam nonnulli sentiunt dum cogitant, audiunt, aut legunt ipsum rei apicem seu caput, in quo consistit summus hic amor; nempe ut desideretur ipsius Dei esse, gloria, & omne bonum ejus, propter ipsummet Deum. Expedit autem, ut duo circa hæc consideremus. Primum, quid sit quod rem tam sublimem tepefacere possit, aut ad algorem deducere, cum sit divinus calor? Secundum, quod sit huic malo remedium adhibendum? Quod primum est, hac similitudine ostendemus. Nam si inductis ad videndum rem aliquam maximi pretij, ex defectu nostræ cognitionis, res illa jam proposita nobis, videatur vilis esse, aut modicæ æstimationis, experimur indubiè frigescere appetitum, quo illam videre cupiebamus, etiam si in rei veritate ejus sit

Tepiditas primus dæmonis impetus, imperfectè Deum volentis amari.

Duo contra tepiditatem consideranda.

Simile.

ſit pretij, cujus nobis fuerat prædicata. Id ipſum ſanè nonnullis frequenter accidit in hoc ad Deum amore, dum & parum rem percipiunt, & adverſarius illos impetit: quod præſertim iis contingit, qui ſuavitate ac dulcedine, quam hic amor ſecum adferre ſolet, præventi non ſunt: qui audientes, hunc amorem in hoc conſiſtere, ut cupiamus, & intus in nobis ſentiamus complacentiam, ex omni bono & gloria quæ in Deo ſunt, ut hoc ipſo capite dictum eſt, frigeſcunt, exiſtimantes operationem hanc non adeò ſublimem eſſe, ſed judicant alias eſſe, aut haberi poſſe ſublimiores, tam corporales quam ſpirituales, imaginantes nonnulla, quæ ſibi majoris eſſe pretii indicantur, quodque illas deceret tanti Dei ac domini ſervos operari, utpote, opera magnæ fortitudinis corporalis, veluti turrim ingentem vnico impetu diruere, aut uno gladii ictu decem cataphractos milites deſcindere.

Teporis in amando quæ cauſa ſit?

dere. Rursum magnum scientiæ signum, ut si quis omnes ethnicos, adhibitâ licet ab illis omni mundanâ scientiâ, elingues redderet: aut alia quævis magna opera, quæ in mundo magnæ sunt admirationi, qualia sunt ingens contemplatio, miracula operari, aut prophetare, quæque ab iis qui ita oppugnantur, aut tentantur, majoris excellentiæ judicantur, quàm animam sublevare, ut gaudeat in Deo esse omne bonum, & gloriam, quæ habet, ac proinde tepescunt in dirigendo quicquid ipsis in hac vita faciendum est, adhoc duntaxat ut hunc assequantur amorem, qui in eorum oculis non videtur admodum sublimis, quanquam talem esse credant, eo quod sacra scriptura id afferat, & propemodum de Deo admirantur, quod hunc amorem præferat omnibus quæ fiunt, aut fieri possunt. Est autem advertendum, quòd quemadmodum apppetitus rerum nocivarum, & nauseabundarum,

 darum,

darum, ut plurimùm ex eadem radice ægroto proveniunt, utpote, ex palati infectione seu corruptione: ita quoque de eo contingit, qui magni æstimat signa illa magnæ fortitudinis corporalis, aut scientiæ, & similium. Illum autem Dei amorem, de quo diximus, videtur existimare non esse tanti pretii: id enim provenit ex eo, quòd animæ palatum sit infectum: quemadmodum etiam quarto primæ partis documento dictum est: adjuncta simul, ut diximus, adversarii oppugnatione. Non tamen ob id, vilior est bonus cibus, quàm malus, neque Dei amor minus præstans cæteris omnibus operibus, sed longè præstantior. Hujusmodi nihilominus refrigescentia, iis qui adhuc sunt fragiles, non parum adfert nocumenti: neque enim vel operis magnitudo eos invitat, cum illam non percipiant: neque rei gustus vires eis tribuit, & hinc atque illinc provenit, ut in opere vires deficiant.

Æquum

Æquum est igitur, imò & necessarium, ut tanto medeamur incommodo. Cognita itaque hujus temporis causa, videndum est, quod sit adhibendum huic malo remedium. Primum ergo & communissimum remedium ad curandum hoc malum est; providere ut sanetur corruptus apetitus, ut prædicto quarto documento diximus: statimque perspicient hi qui prædictum patiebantur teporem, priora illa opera, quæ ipsi admiranda judicabant, admodum abjecta esse si ad Dei amorem illa conferas. Istud nos docet D. Paulus, qui cùm sanũ haberet palatũ, scribẽs ad Corinthios, dicit, ac judicat cætera æqualia, aut majora prædictis, opera, absque amore nullius esse pretii. *Si linguis*, inquit, *hominum loquar & Angelorum, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeat, charitatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest*, neque magnæ debent hæc haberi

Remediũ adversus teporem animi.

1.Cor.1.3.

haberi æstimationis. Ac deinde, post hæc omnia loquens de sublimibus operibus, seu virtutibus, asserit omnibus præeminere Charitatem. Id ipsum dixit ipse Dei Filius Dominus noster, quemadmodum initio hujus capitis scriptum est: Manifestum est igitur amorem, omnium operum esse præcipuum; cùm absque ipso cætera omnia nihil sint. Et sanè absque longiori probatione nobis satis esse, deberet, quòd æterna Dei sapientia, quæ errare nequit, istud vult ac eligit, nobisque facere præcipit, præ omnibus quæ seu in cœlo seu in terra fieri possunt. Attamen de remedio magis singulari prospicientes, quod de inexplicabili hujus operis, quod est amare Deum, magnitudine quippiam sentire faciat, expedit meo judicio, ut id in hunc modum declaremus. Manifestissimè verum est, nobilissimum quod Deus in nobis collocavit ad operandum, esse liberum arbitrium, quo liberè quid-

Amor Dei omniũ præcipuum.

Libertas arbitrij & ejus vis.

quidvis operamur. Hujus itaque operatio erit nobilissima quæ à nobis fieri potest in hac vita, nempe ut bonum aliquid esse cognoscentes, illud amemus. Est tamen advertendum, quòd & nos, & simul nostrum liberum arbitrium, parum admodum sumus. Si ergo illud sublime reddere cupimus, ut opus ejus magni sit pretii, non aliud est medium, quàm ut uniatur, ac fortissimè conglutinetur voluntati, quæ infinitæ est excellentiæ, eoque modo ipsum illi conjungamus, ut ad aliud nihil feratur, nisi quod infinita illa voluntas voluerit: tum enim ipsum velle nostri fragilis arbitrii, erit infiniti valoris ac sublimitatis, cum relicto suo velle, habet velle illius infinitæ voluntatis, quæ Dei est: ille enim semper vult, amat, & gaudet ob infinitum bonum quod habet. Vult præterea multas ob causas, ut hoc ipsum velimus, quod ipse tantopere cupit & amat. Primum, ob solam suam bonitatem, qua voluit

Voluntas divina nostri arbitrij est nobilitas & amoris regula.

ut abjectum nostrum arbitrium in tantam sublimaretur nobilitatem, ut haberet velle infiniti valoris, ut dictum est. Secundum, quia cum nos ad tantum bonum creaverit, æquum est ut aliquod ipsi præstemus obsequium. Quod autem erit obsequium quod ei præstare poterimus, cùm illa majestas nullo nostro egeat obsequio, etiamsi maximum sit, quod imaginari possit aut recogitari. Dicimus, quòd ne ociosi simus, cùm Deus nullo egeat, nec majus bonum habere possit, quàm nunc habeat, æquum est, ut tanquam obsequiosi servi qui gaudent de bono Domini sui, in hoc tota vita occupemur, ut de bono & de gloria ipsius Dei gaudeamus. Et certè, facilè quisque videbit, admodum æquum esse, remque maximam, ut omnia tam cælestia quàm terrestria, cæteris omnibus omissis, in hoc semper occupentur, ut gaudeant de bono & gloria quibus Deus infinitè plenus est. Tertium item

item, propter quod voluit Deus nostram voluntatem adjungi ac uniri ei quod præ omnibus ipse cupit est, eò quòd justissimum sit, ut jam adhuc in terra positi quærere incipiamus voluntatem illam infinitam à cujus adimpletione provenit perpetua illa beatitudo, quam in cœlis expectamus, quam jam in terra possidere incipit is, qui hujusmodi ducitur amore: ut enim asserunt theologi *gloria est gratia consummata*, hoc est, gloria est, charitatem hanc in perfectione possidere; atque ita hic inchoatur, & in cælis perficitur. Operæpretium autem erit istud aperire, declarando, quonam pacto in hoc amore perficiatur gloria illa cœlestis? quod etiam principali nostræ intentioni subserviet, nempè ut hujus amoris, de quo loquimur, excellentia demonstretur. Ad quod annotandum erit, quod, etiam diligentissimè relegendum est: quod omne nostrum gaudium ex adimpletione nostræ vo-

Charitati respondet gloria.

luntatis

luntatis provenit. Et quantò magis nostra voluntas aliquid desiderat, quantoque perfectius adimpletur quod desiderat, tantò majus consequitur gaudium. Ad hæc consideremus, quòd beatitudo, sive perfectum in cœlo gaudium, ex Dei visione provenit, qui ipso momento quo videtur, in universis qui ipsum vident, perfectissimam cognitionem infundit, quod ille dignissimus sit, qui bonum & gloriam infinitam habeat. Nam ut primum vident ipsum, omnes sunt sapientes ac prudentes, ut videat quisque quid sibi conveniat: cui cognitioni, simul adjungitur ipsius Dei amor super omnia creata, unà cum ineffabili desiderio, ut ipse possideat omne illud bonum & gloriam quibus dignus est: quod desiderium, intensissimamque voluntatem cujusque, semper clara visio consequitur, qua noverunt, aperteque vident illud suum desiderium longè perfectius adimpleri, quam ipsi valeant comprehen-

Cælestis beatitudo in quo posita?

hendere. Vident siquidem ac intelligunt, Deum ipsum quem tantoperè amant, tanto bono & gloria decoratum, ut ob illius infinitatem, nec ipsi valeant perfectè intelligere, nec illi videant defectus aut augmentum accedere gloriæ. Rursum, tanto majus esse cujusque gaudium, ut dictum est, quanto majus est desiderium, quantoque perfectius adimpletur. Hic autem aperitur amplitudo gloriæ cujusque beati, cum tam sublimi modo compleatur ipsorum desiderium, quo nullum potest esse excelsius: porrò desiderium illud est infiniti boni ipsius Dei, cujus majori tenentur amore ac desiderio quàm propriæ, quæ ipsis competit, gloriæ. O verè beatum illum, qui in terra, Dei esse, ac gloriam, intima voluntate amaverit, & contemplatus fuerit, cùm eo perventurus sit, ut suum desiderium tam sublimi modo videat in cælo adimpletum. Quisnam est, qui imaginari possit, quantum suæ gloriæ hic dominus,

minus, sine ejusdem in se diminutione tribuet ei, qui in terra habitans, nihil aliud optaverit, nisi gloriam ac magnitudinem, quam majestas illa possidet? Hæc omnia declarant id quod habet D. Paulus: *Neque oculus vidit neque auris audivit, nec in cor hominis ascendit*
1. Cor. 2. *gloriæ magnitudo, quam præparavit Deus his, qui diligunt illum.* Hoc autem dicit, eò quòd nemo concipere possit, quàm intimè, hi qui Deum hic amarunt, optent in cœlo, velintque bonum quod Deus possidet; & quàm sublimi modo in ipsis adimpleatur hoc desiderium; quantumque sit gaudium, tum de hoc tum de illo. Manifestum igitur est, quantæ sit excellentiæ opus hoc amoris Dei, quanquam nec lingua sit, nec calamus qui ad plenum illud explicare valeat, quantum in se est. Provisum etiam est de remedio tepiditati, quæ novis in hac militia tironibus posset occurrere, cum non tepiditas certè, sed potiùs divini amoris

ris incendium ſubintrare deberet cor noſtrum, non ſolùm q'ioties de ſancto hoc amore cogitamus, aut illum nominari audimus, verum etiam quoties aliquid facimus aut cogitamus, quod nobis auxilio eſſe poteſt, quo ad illum diſponamur, quemadmodum eſt, quicquid ad noſtram doctrinam conſcribitur. Quum ergo jam declaraverimus, quiſnam ſit eximius ille Dei amor ad quem nati ſumus, operæ pretium erit, ut jam tractemus, quantum aut quoties in hoc amore nos occupare debeamus. Et quanquam breviter dari poſſit reſponſio, quòd ſemper, aut innumeris, eadem etiam hora vicibus, ſi fieri poſſit: attamen quo vividius ſentire valeamus, quam continuè ſic amare deberemus, expedit ut advertamus, quòd ſi commendanda eſt commutatio, qua quis unius horæ laborem ſubiret, aut daret modicum nummum argēteum in redemptionem mille hominum à Mauris captivato-

Quantè ſit amor in Deum?

torum, absque ulla comparatione melius collocatum haberi debet, ut idem aut alius quivis homo mortem sustineat, imò & mortes innumeras; ut alius quispiam vel minimo temporis spatio Deum amet, si absque illa mortis, seu mortium perpessione, haberi non possit ille amor, vel illo brevi temporis spatio: idque adeò verum est, ut non solum hoc locum habeat, dum is qui sic brevi illo temporis spatio Deum amat, per eum amorem cœlestem nancisceretur gloriam: verum etiam si certi essemus, ipsum aliis variis in Deum obsequiis, absque illo brevi temporis amore gloriam obtenturum: quod hinc ostendi potest. Nam majus bonum in se habet brevis ille amor, quàm mali sit in omni tolerato dolore ejus, qui etiam millies mortem oppeteret. Præterea, incomparabiliter adhuc majus erit bonum, si consideremus quod brevi illi amori debetur augmentum gratiæ, ac proinde etiam

am augmentum perpetui amoris cum gloria cælesti. Quantum autem illud sit bonum, cognoscere poterit, qui intellexerit quanta sit divini amoris magnitudo. Hoc autem cognito, clariùs elucet, quòd semper, aut innumeris vicibus, adeò sublimem operationem operari debemus, ut hic quod nostrum est agentes, viribus crescamus ad operationem in cœlo: ubi, qui gloriam consecuti sunt, tantò sublimiùs amant, quantò in terris magis amarunt. Quod si excelsum hunc Deum innumeris vicibus amare debemus, eò quòd inæstimabilis bonitatis sit hic actus amoris: nunc convertamus nos, ut nostram consideremus negligentiam ac malitiam, & videamus quam amarè deflere deberemus omne vitæ nostræ momentum, quod absque hoc amore pertransiit. Rursum quanto adhuc amariùs deflere deberemus quicquid nos ab hoc amore disjunxit, cujusmodi est peccatum: quod si mor-

Amoris præmium.

Negligentia humana.

mortale sit, inimicus es capitalis, ac penitus huic amori contrarius: sin verò veniale, teporem ac remoram tanto bono inducit. Ad hæc advertamus, quanta sit dignum reprehensione, si non intimè gaudeamus de omni eo, quòd ad hoc bonum nos potest promovere: cujusmodi sunt injuriæ, vilipensiones, & quævis persecutiones. Atque è diverso, si non summè doleamus, quoties huic bono aliquod nobis præstetur impedimentum, puta humani favores, & quævis delectatio, aut complacentia temporalis. Sanè, tam reprehensibile est, nos non gaudere sive dolere de his quæ jam diximus, quantò asperiùs est, millies mortem sustinere, quàm injurias seu persecutiones, quas humana malitia solet inferre: aut tristitias, quas sentire possemus, dum humanos favores aut alia, quæ delectationes nobis adferre solent, fugeremus. Rursum, ne in tam præclaro itinere, quippiam nobis impe-

Impedimenta charitatis.

impedimento ſit, annotandum eſt; quòd, ſi interdum ob debilitatem corporis; aut quia nondum in anima tantam virtutem conſecuti ſumus, quanta eſſet neceſſaria ad tolerandas adverſitates, neceſſe fuerit fugere perſecutiones, eorumque ſocietates qui nos malis afficiunt; aut procurare, vel ſuſcipere nonnulla delicata ſeu ſapida, ut id faciamus intentione actuali, evitandi majora mala; plurimumque eo ipſo dolentes, quòd fugiendo adverſa recedamus ab eo, quod nos promovere poſſet ad tantum bonum, quantus eſt Dei amor; quodque illa delectabilia aſſumentes omittamus illa aſpera, ad quæ ob noſtræ negligentiæ malitiam obligamur. Deberemus quoque id ipſum facere cum humili ad Deum ac Dominum noſtrum prece, quà ſupplices ab eo peteremus, ut virtutem in corpore & anima noſtra roboraret, quo acceptis viribus ad reſiſtendum fragilitati, ob quam ex defectu

nostræ virtutis necessarium nobis est fugere hujusmodi persecutiones, aut quæ delectabilia sunt suscipere, absque ullo impedimento disponamur, ut dictum est, ad excelsum ipsius amorem. Ut autem clariùs cognoscamus, quanta reprehensione dignæ sint negligentiæ, quibus ab hoc pretioso amore deficimus, non parùm proderit, videre & annotare secundum caput secundæ partis, nempe de nostri ipsorum odio, quod fundamentum est ac primaria dispositio ad Dei amorem. Itaque amore Dei, rursum dico, amore Dei recogitemus ac ponderemus. Et quia non sunt nobis in terris bilances, quibus id continuè ponderari valeat, petamus à Deo, ut de cœlo nobis provideat: faxitque Dominus, ne unquam fatigetur vita nostra ab hac re pensitanda. Ex omnibus his, notandum est, quantæ sit dementiæ, non procurare excelsam in cælis gloriam, cùm illius gloriæ sublimitas amoris ma-

Oratione charitas firmatur.

magnitudini debeatur. Quòd, etiam si nobis curæ non esset magnitudo gloriæ, quæ nobis destinatur, plurimum tamen obligati sumus curare, ut assequamur magnitudinem amoris: quò facti gloriosi, semper amaremus eum, qui dignissimus est ab omnibus summè amari. Ut autem videamus quomodo frequenter amare valeamus, potissimùm cùm deserit nos ille gustus sive dulcedo, quæ solet ex se ad amandum incitare: huic malo remedium adfertur sexto documento: ubi ostenditur, concessum nobis esse à Deo, ut possimus hoc vel illud velle quoties libet. Ex his omnibus, advertat prudens Christi servus, quantam faciamus jacturam, eamque irrecuperabilē, cum quotquot tēporum momentis Deum amare possemus, & illud omittimus. Quod si dolendum est, dum quis sua negligentia, magnarum dignitatum aut terrenorum thesaurorvm facit jacturam: quantò tristius est (cum longè

Charitatis obligatio.

Neglecta charitatis jactura.

gè major sit jactura) omittere, vel ad vnicum momentum amare Deum, etiam si nullum concurrat peccatum. Advertamus, quòd peritissimus etiam artifex, nullum facit lucrum, nisi dum in suo operatur artificio: & ita nec Dei servus fit locupletior in amore, nisi dum speciales producit actus ipsius amoris. Consideratis his quæ jam dicta sunt de hoc tam sublimi amore, quisque meritò scire cupiet, quam rationem habebimus, aut quidnam agemus ut illum obtineamus. Priusquam autem hoc dicatur aut aperiatur, animadvertemus, multos in hoc errasse, quòd putantes negotium compendio perficere, statim in exordio, voluerunt plene in Dei amore exerceri, non præmissa ad hoc sufficienti præparatione. Siquidem illum intuendo, aut aliquid de ejus magnitudine subodorando, visus est illis tantæ amœnitatis hortus: ut, non considerantes, nec ingressi iter quod ad talem amorem præscribi-

Via ad charitatem.

ſcribit ſacrum Evangelium, de quo in hoc tractatu dictum eſt, non per oſtium ingredi, ſed aliundè inſilire voluerint, dumque ſibi non proſpicerent, invenerunt ſe deviantes, & abſque ullo itinere. Potens quidem eſt Deus, ut quemcunque voluerit unico ſaltu in editiſſimo loco conſtituat, metuendum eſt tamen ei qui inſilit, eò quod interdum putabit ſe à Deo ductum eſſe, cùm ſua tantum præſumptione ductus ſit: quemadmodum de eo *fieri exiſtimamus*, qui, relicta via evangelica, ſtatim vult in hujus ſublimis amoris terminos inſilire. Neque hoc tamen volumus, ut qui ad hunc excelſum amorem ſe præparant, initio illum penitus deſerant, ſed ne in exordio ita ſe totos in illud projjciant, ut obliviſcantur præparationis ac itineris evangelici, quod Filius Dei nobis tradidit. Tantò enim certior erit præparatio, quantò ſublimiùs ſe quis in Dei amore collocaverit, per exercitia quæ nobis

tradidit evangelium, & jam dicta sunt esse ad illum amorem necessaria. Debet itaque humilis servus, qui tam pretiosum liquorem in anima sua excipere nititur, quò suavitate gloriæ excelsum Deum suum glorificet, multis diebus primum se exercere in his quæ suprà scripta sunt, & præ omnibus, ut à se ipso sese extricet. Ubi autem ritè, aut sufficienter saltem, in eo se exercitatum viderit: si Deus ac Dominus noster in benedictionibus dulcedinis succurrerit, magno erunt ei auxilio, ut cum facilitate amet. Quod si desit, aut etiam dum sese offert hæc suavitas, industriè illi operandum est in hunc modum. Brevibus in memoriam reducat quam grande sit bonum & gloria quam Deus habet, considerando illum ut optimum, & dignissimum, ut de ejus bono omnes gaudeant: statimque inclinet voluntatem ut id cupiat, & de tanto bono Dei sui gaudeat, persistatque in eo velle quantùm po-

Fugiendus amor sui.

Exercitatio charitatis.

potuerit. Quòd si aliquantum in hoc distractus aut tepefactus fuerit, rursum statim ad eundem modum se convertat: & ita quantùm sibi fuerit possibile, non omittat producere actus, quibus cupiat seu amet bonum illud quod habet Deus, & in animo frequentissimè gaudio exiliat, considerans Deum infinitis bonis plenissimum. Ex magna autem hujus exercitij continuatione, necessum est ut ad excelsum amorem sublevetur. *Amoris actus ut existant.* Nec aliud est, frequenter amoris actus producere, quàm si quis, eâdem hora referri audiat plurima sui singularis amici stratagemata, aut exhibitos ei honores eximios, & de quolibet eorum gaudeat: quodlibet illorum gaudiorum, ex affectu ad illum procedentium, dicitur actus amoris. Cum ergo Dei honor & gloria sint infinita, & infinitæ excellentiæ, similiter quicquid agit aut creat, & horum quodlibet singularem ejus referat dignitatem ac honorem:

neque sufficiant universa vitæ nostræ momenta, ut illas audiamus aut consideremus, debemus saltem illas sub nomine boni & gloriæ infinitæ accumulare, & voluntatis actus producere, inclinando eam ut cupiat, & de hoc omnibus vitæ nostræ momentis gaudeat, cum hoc illi longè magis quàm ulli alii amico debemus, cùm ex magnifica quoque ejus beneficentia tanta pars gloriæ ejus in nos resultet. Posset autem quis adeò se in his actibus exercere (etiamsi desit illa dulcedo quam appellant devotionem) ut in omni loco & in omni negotio frequenter Deum amaret, non quæsito ad hoc loco secreto, aut nova sui sequestratione: quemadmodum in dies contingere solet, quòd gaudeat amicus dum audit recenter accidisse bonum alteri suo amico, qui de hoc subitò gaudet, non quærens aliud tempus, locum, aut sequestrationem, ut de eo gaudeat. Ad prædictos actus plurimùm conducit,

cit, quod ſcriptum eſt ſecundo & ſexto documentis, & capite de ſui ipſius odio. Unde colligere licebit quonam modò debeant hi actus produci, quodque omne illud fieri debeat, eò quòd digniſſimus ſit Deus, ut propter ipſum illud faciamus. Neque videri debet labor aut remoratio, ob iſta recurrere ad prædicta documenta, nam ubi paucis diebus id actum fuerit, facilè poterit quis operari, etiam ad ea non recurrens. Videbitur fortaſſis alicui modus facilior, quo perveniri poſſit ad hunc amorem, ſi ille ferventer à Deo petatur per modum orationis, qui ſcriptus eſt capite de oratione, unà cum virtutum exercitiis, de quibus jam diximus: at ſi rectè inſpiciatur, propemodum idem, eſt attamen breviùs ac ſublimiùs eum aſſequetur is, qui unà cum tali oratione ſeſe juvare noverit actibus ſexti documenti, quod & in oratione, & extra illam contingere ſolet, quemadmodum ibi declaratum

est, & similiter nono capite de quatuor animi affectibus. Nam in quolibet actu illorum, invenitur novum obsequium & augmentum. Et cum interdum contingat, ut aliqui annitantur hos actus amandi & cupiendi bonum & gloriam Dei producere, omnesque suos actus & motus in ejus obsequium reducere, inveniant tamen ad hoc voluntatem valde hebetem esse: ut huic malo remedium adferatur, credamus, id nobis provenire, eò quòd desit sanctum nostri odium, quod nos redemptor noster docuit, de quo supra dictum est partis secundæ capite secundo: aut quòd hæreat quispiam affectus ad rem aliquam terrenam, veluti amor non necessariæ delectationis: aut affectus ad aliam personam non rectè ordinatus. Qui ergo se ita hebetem invenerit, diligenter debet in se hujusmodi defectum vel affectum perquirere, illumque contrariis actibus auferre, quemadmodum capite sequenti dicetur, & mul-

Actus amoris quid impediat?

& multis antea locis dictum est. Neque enim aliud est, velle inclinare voluntatem ut producat actus amoris Dei super omnia, non obtento priùs sancto ac pretioso sui odio, aut permanente affectu ad aliud quippiam terrenum, seu quidvis aliud, quod delectationem adferat, in Deum actu, aut saltem virtute, non ordinatam, quam malleo ea velle discindere quæ requirunt novaculam, aut cultrum, vel ensem acutissimum. Certè voluntatem quæ producere habet actus veri ac sinceri amoris, adeò acutam esse oportet, ut penetret quicquid objectum fuerit, donec ad Deum perveniat. Hujusmodi autem voluntas, etiam in quiete & sine labore, mille, imò longè plures amoris actus in die producet, quorum vel minimus tanti sit meriti, ut solus hominem ad excelsum in cœlis gloriæ gradum elevare sufficiat. Et contrà, qui per voluntatem modico inordinato amore, ut dictum est,

hebetem aut obtusam, conatur erigere se, ut amoris actus producat, huic adeò difficile est amare, quam malleo dividere: sublimitas enim perfecti amoris rem adeò vilem & abjectam secum non patitur. Neque admirari debet quispiam, quòd ad hunc obtinendum amorem tanta hic ponatur circunspectio, dicens, multos illum obtinuisse, non adhibitis tot cautelis, neque hac ratione seu methodo. Nam & si multi ipsum sint assecuti, priusquam hæc scriberentur, qui tamen rectè perpenderit, quid redemptor noster voluerit, cùm diceret, universam legem ab amore pendere, apertè percipiet neminem viâ communi illum esse assecutum, absque his ipsis rationibus quæ hic scribuntur, quæ non aliæ sunt, quàm quæ ex sacris literis eliciuntur, juxta sanctorum doctorum, quo ad hoc argumentum, declarationem, quas Deus dominus noster, sua magnifica beneficentia parvis ac magnis suis

ſuis electis manifeſtat, quâ etiam beneficentiâ, dignata eſt ejus bonitas diſponere, ut paucis in modum artis ſeu methodi nunc in unum redactæ jungerentur, ſcripto omnibus propoſitæ: ut increſcente noſtra fragilitate, abundaret facilitas cognoſcendi id, quod nobis erat adeò neceſſarium. Quod ſi qui inſtent, aſſerentes ſe hunc amorem aſſecutos abſque his rationibus ſeu mediis, proſpiciant, ne fortaſſis ſit frigidus aut debilis ille amor, de quo, poſt hujus capitis initium dictum eſt: qui cùm patiatur varias ſecum ineſſe maculas, ut ibidem proponitur, non mirũ eſt, ſi abſque methodo, parvoque labore obtineatur.

***

CAPVT II.

De amore qui proximo debetur, nempe, eo modo quo nos Christus amavit, & quo pacto cognoscatur, nostrum amorem esse propter solum Deum? cùm multi in hoc fallantur.

QUemadmodum caput de Dei amore, post illa quæ præcesserant ponebatur, eò quòd ipsa ad eum assequendum erant accommoda: ita hoc caput unà cum sequenti, ponuntur post illud caput de Dei amore. Nam, ut bonus sit amor quem habemus ad proximum, de quo hoc capite dicendum est, & quem ad nos ipsos habemus, de quo sequenti capite agetur, necessum est, ut ab ipso Dei amore procedat. Pro his ergo quæ de proximi amore dicenda sunt, annotāda est quædam regula, quæ potest operi cuilibet applicari: nempe, quòd is qui Deo semper pla-

placere cupit, duo advertere debet. Primum, quid ille nos velit agere; Secundum, quemadmodum velit ut hoc faciamus. Parum enim ageret, qui faceret quod cupit Deus, nisi etiam eo modo faceret, quo ille vult ut fiat. Excellentissimum opus quod vult ut operemur, est ut se amemus, & de se recogitemus: si tamen id non eo modo faceremus quo ipse fieri cupit, ut quo priori capite declaratum est, non esset illi gratum, aut magna remuneratione dignum. Aliud huic simile opus, quod nos Deus agere cupit est, ut proximum amemus: sed quantumvis Deus id fieri exoptet, nisi illum amemus modo quo Deus id fieri cupit, non assequemur sublimia illa præmia eorum qui rectè amant, ut habet D Gregorius. Nam etsi huic modo amandi, non adversentur sacra eloquia, quasi peccatum esse judicent, ita tamen non fit per eum, quomodo Deus fieri cupit. *Hoc est*, inquit majestas illa, *præceptum*

Duo in amando proximo servāda.

Vt amandus proximus. *ceptum meum, ut diligatis inVicem sicut dilexi Vos.* Expedit ergo ut aliquantulum aperiamus quo modo ille nos amaverit, ut intelligamus in quem modum velit ut proximum amemus. Amavit nos supremus hic Dominus, deducendo nos ad sublimem sui amorem; amavit nos, inducendo ad toleranda hujus mundi adversa, nunquam laxando frenum ad vana hujus sæculi oblectamenta, supra id quod necessum foret ad corporis sustentationem: amavit nos moriens, ut daret nobis virtutes & gloriam. Et hoc amandi modo, fuit omnium maximè amori deditus: inimicissimus autem omnis vani amoris, quo nunc amatores invicem se prosequuntur forisque ostendunt, qui admodum dilutus est. Faxit autem Deus ne infectivus sit voluntatis, quæ, ut templum Dei sit, creata est. Certum est quòd si animam talis amor non inficeret, non dixisset Dei Filius. *Qui non odit Patrem & ma-*

& matrem & fratres & sorores, non potest meus esse discipulus. Itaque invicem nos amare debemus, & eo modo quo præceptor noster nos docet, abjectis cunctis aliis vanitatibus, quæ amori se immiscere solent; quarum unam quæ spirituales personas magis concernit, hic proponamus. Offertur persona quæpiam, quo ad animam, virtuti dedita, quo ad corporalem præsentiam & conversationem grata & faceta. Huic personæ afficiuntur nonnulli spirituales in tantum, ut corde in ejus amorem captivi teneantur, sitque molestum, hujusmodi personam non videre, non alloqui, non agnoscere in ipsa reciprocum erga se amorem. Vanus est hic amor. Unde apud quosdam ortum est, ut magnum subirent laborem, parum tamen proficerent, & exiguum Dei obsequium exhiberent. Præstabit autem, ut ejus vanitatem, quò apertè cunctis pateat ostendamus: quod hac fieri poterit com-

Exemplū vani amoris.

comparatione. Est tibi fortassis amicus qui habet servum, amor hujus servi amici tui ita cor tuum detinet captivum, ut longè magis te delectet cum ipso conversari & colloqui, quàm cum amico. Si dicas amorem hunc, quo servum persequeris, esse propter amicum, quis non ridebit? Nam etsi fieri potest; quod inchoatus sit amor eò quod hic amici servus esset, ex quo tamen adeò hic amor increvit, ut magis te delectet servi conversatio quam amici, manifestum est, quòd nunc illum non ames propter amicum, sed quia suavis & grata tibi est ejus conversatio. Proinde certum est pari modo, risu dignum esse, dicere propter Deum esse amorem illum de quo antea loquebamur, etiam si fortassis partem habeat amoris spiritualis: sed ei qui verè Deo addictus est, non satis esse debet partem Deo tradere, sed totum, ita ut totus affectus in Deo occupetur, aut in aliquo, quod totum ad ipsum dirigatur.

gatur. Abjiciatur ergo quicquid vanum eſt in eo amore, cum certè id in Deum ordinari aut dirigi nequeat, id quod in creatura magis amatur, quàm in Deo & creatore. Amor noſter erga omnes, tanto affectu ferri debet quantus procedere poteſt ex affectu quem ad Deum habemus, abjectis univerſis aliis affectibus, ut locum habeat is quem Deo debemus. Ad illa autem abjicienda, non parum proderit, id quod novo capite ſecundæ partis de vano gaudio continetur, unà cum ſexto documento. Quum ergo jam in parte dictum ſit qualis eſſe debeat noſter amor, & quo pacto abjiciendus ſit qui ejuſmodi non eſt, expedit ut hic adjiciamus paradigma, quod hunc amandi modum aperiat. Cui rei proderit, ad memoriam reducere bonum illum filium, de cujus erga patrem amore priori capite dictum eſt, ad cujus ſimilitudinem colligebamus, quomodo excelſum patrem noſtrum amare conveniat: ita & nunc

nunc videamus quomodo ad hujus imitationem debeamus patris nostri servos amare, nempe universos qui in mundo sunt amicos & inimicos. In illo ergo paradigmate, addamus; patrem illum adeò amatum à filio suo, qui tamen nihil unquam expectat à patre commodi, habere famulum quem unicè diligit: attamen cùm nec sibi necessaria habeat, nisi quantum ipsi dat filius, ita nec suo famulo. Hic, inquam, famulus odiosus est, nec ulla in re utilis bono illi filio, qui si se tantum quæreret, famulum illum ablegaret, attamen nolens ut patri molestum quippiam accidat, sed potius quærens quicquid ipsi delectabile esse potest, nullo alio respectu inductus, in sua domo illum sustentat tanquam unum filiorum, aut charissimorum famulorum, & ita illi loquitur, eumque pertractat, ut etiam si domũ vellet relinquere, doleret filius, rogaretque ne egrederetur, veritus ne pater de illius absen-

abſentia contriſtaretur. Ex hoc amore,hanc eruimus eminentiam, quòd ex patris amore omninò oritur, talemque oportet eſſe amorem quem ad proximos habere debemus, nempe ut conſiderantes quòd à Deo tantum amati ſint, quòd pro ipſis morti ſe tradiderit, cum omnes adhuc ejus eſſent inimici, omnes eos tantum amemus, ſubveniendo eis in omni eo quod bonum eſt,quòdque ipſis,tum quo ad corpus, tum quoad animam neceſſarium eſt, quantùm amare ſolemus eos qui nos plurimùm delectant : idque, etiam ſi ipſorum converſatio nobis odioſa ſit ac moleſta : & ita illis loquamur, eiſque in omnibus neceſſariis provideamus, tanquam iis, qui ab illo patre ac Domino noſtro plurimum diliguntur, qui ita vult, ac fieri jubet. Et hæc omnia facere debemus tanta, tamque ferventi voluntate quàm poſſumus, eò quod hoc ſit Deo maximè gratum, vultque ut id faciamus, & eſt hæc

Amor Dei in homines.

inſi-

Cur amandi inimici. infinita ejus voluntas, ut ita à nobis fiat. Advertant, potiſſimum qui Deo placere deſiderant, quòd quiſquis nos injuria afficit, magnam præbet occaſionem, ut in Dei ſervitio creſcamus: nam poſt hanc, quæ supervenit, magni boni occaſionem, junctam cum Dei præcepto, qui ita vult, quam excuſationem habebimus, ſi eos qui nos malis afficiunt, non intimis & ardentibus amemus viſceribus? potiſſimum, dum conſideramus, quòd & Deus ipſe, à tali noſtro perſecutore, fortaſſis ſuſcipiet poſtmodum ſublimia obſequia, quemadmodum contingit circa varios alios peccatores. Non debet ergo haberi bonus Dei ſervus, qui nō gaudet afflictionib9 vel injuriis quæ ſibi pro domino ſuo inſeruntur. Si ergo felicem exiſtimet, quando ipſum injuriis & adverſitatibus appetitum ſola Deo ſerviendi voluntas facit, non minus eſſe ſtabilem in amando eum, quem ſuus inordinatus affectus red-

redderet odiosum, quàm illum quem beneficiorum abundantia amare compellit. Advertendum tamen est, quòd etsi amor esse debeat æqualiter ad universos, primum tamen exhiberi debet affectu, bonisque operibus erga eum qui virtuti deditus est ac beneficus.

Licet omnes, boni tamen sunt prius amãdi.

CAPVT III.

De amore cujusque ad seipsum, & quomodo se amare debeat, qui vere se amare cupit, item de modo laudandi Deum, illique gratias agendi.

ADeò naturale est amare nos ipsos, ut qui de hoc cupit doctrinam tradere, absque metu alios ad iram provocandi, loqui possit; cum adeo creverit appetitus in amore, quem ad nos ipsos habemus, ut etiam si magnis opibus ditati simus, parvæ à nobis judicentur, eò quòd ad majora nos ipsos ame-

Amor noster naturalis est.

amemus. Atque ob id, Filius Dei præceptor noſter eximius, cupiens ut proximos noſtros plurimùm amaremus, tanquam populum, pro quo animam poſuerat: ut paucis verbis oſtenderet, quantum illos à nobis amari vellet, dixit: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Verum, cùm peccati cæcitas adeò nos invaſerit, ut auferret judicium ac ſcientiam quomodo amare deberemus, operæ pretium erit, ut huic malo provideamus, juxta quod ſacrum Evangelium providet. Hunc itaque dicemus ſeipſum amare, qui tria hæc obſervat. Primum, ut totis viribus quidvis procuret, unde intelligit ſibi bonum aliquod provenire poſſe. Secundum, ut omne illud devitet, quòd poteſt ſibi damnum aut malum adferre. Tertium, quod, etiam ſi ad obtinendum bonum ſeſe difficilia offerant, non recuſet ſe illis objicere, & offerre. De his tribus, cum in ſuperioribus frequenter mentionem fecerimus, pauca duntaxat attingemus,

Matt. 22

Vt nos ipſos amemus tria sũt obſervãda.

mus, quæ magis necessaria sunt, ut nos ipsos amare discamus. Quò ad primum horum trium, annotabimus illum canonem omni momento admodum necessarium, ad hoc ut quod bonum est, efficiatur valde bonum: nempe, quòd quacunque in re, rursum repeto, quòd quacunque in re in universum loquẽdo, quam concupiverimus, aut obtinuerimus, duo considerari possunt. Primum est, bonum quod ex ea re nobis contingere potest: alterum quòd Deo gratum est, ut hujusmodi bonum nobis proveniat. Itaque qui se amat, magnaque bona sibi desiderat, debet parvi æstimare bonum quod sibi ipsi potest contingere, ex omni eo quod facit aut desiderat, illud inquam, parvi reputare debet, quatenus suum ipsius bonum est, si ad secundum illud conferatur, nempe quòd Dei sit obsequium, & sanctæ ejus voluntatis adimpletio inde redundans: & huic rei servit secundum docu-

In quacunque re duo consideraand.

Bonum aliquod quomodo debemus

nobis optare. mentum antea traditum. Advertamus quòd quisque dum se amat, summè curat aut ornamenta, aut universam etiam supellectilem suam meliorare, si hujusmodi non sint, qualia esse cuperet: & eo modo facere debet qui se spiritualiter amat. Siquidem Deus dominus noster pretiosum ornamentum seu margaritum nobis contulit, quo omni tempore nos ditare valeamns, nempe appetitum. Hoc margaritum cupro aut stanno coelatum habemus dum quippiam ad nostrum bonum aut utilitatem propriam appetimus, nec quiescere unquam debemus donec dextera Dei excelsi fiat ejusmodi immutatio, ut noster appetitus qui in nobis semper agitatur, propriam aliquam exoptans utilitatem, jam eam tantùm curet, quibus Deus delectatur, potissimum quod tale sit, ut non modo Deus illud velit, sed & nos ipsi ex eo magis ditemur. Siquidem quò magis nostri proprii commodi obliti fue-

Appetitus nostri immutatio.

tì fuerimus, ut divinæ gloriæ recordemur, tantò ille amplius curam habebit nos omni bono ditandi O oblivionem dignam perpetua memoria. O recordationem æternæ gloriæ. O amorem pretiosissimum, qui homines Deos efficit. De hoc siquidem amore intelligendum est quod dicit D. Aug: Si Deum amas, Deus es. Nam ego dixi, Dij estis: Ut ergo tam sublimem nostri amorem obtineremus, voluit Deus noster, ut in eo, in quo mundani sese amare solent, nos ipsos odio haberemus. Et hoc vult, dum in sacro Evangelio jubet, ut nosipsos odio habeamus, veluti in superioribus, secundæ partis secundo capite declaratum est. Præter hæc omnia, eum qui se verè amat præmoneo, ne satis illi sit suavitas, quam percipiet in obsequiis Deo à se præstitis propter expectatam gloriam. Nam & si bona sit hæc suavitas, ut dictum est capite primo hujus tertiæ partis, illam tamen Deus non in eum finem

Psal. 181.

Luc. 14.

Verus amator Dei non in suavi-

tatis dulcedine conquiescit. finem tribuit quò in sola ipsa quiesceremus, sed ut per ipsam deveniamus ad gustum percipiendum in consideratione boni, gloriæ, ac dominij, quæ Deus ipse possidet, utque magno animo ipsum laudemus. Neque enim aliud est speciosa laus Dei & Domini nostri, quemadmodum in psalmis & in universa scriptura dicitur, & sicut videre est in universis rebus creatis. De quo, & de omni re quam retulerimus, dixerimus, vel audierimus, novum gaudii motum sentire debemus: qualem mundani sentiunt, dum laudari vident eos quos plurimum diligunt, aut se ipsos. Quum ergo illi vanè gaudent de laude, quæ ipsis non debetur, æquum est, ut Dei servus summè gaudeat in ejus laudibus, quem cæli & terra satis laudare non sufficiunt. Præterea is qui se ipsum vero amore prosequitur, cum intellexerit se à Deo aliquod accepisse beneficium, debet ex intimis visceribus illi gratias agere, non

Verum servi Dei gaudium quale esse debet.

non quòd seipsum magis locupletatum videat, sed quòd se robustiorem & aptiorem videat ad præstandum Deo aliquod obsequium. Quemadmodum si quispiam primorum regis famulorum gaudeat, quòd magnum à rege perceperit beneficium, ut ex majoribus opibus possit illi majora & gratiora præstare obsequia, absque respectu aliorum beneficiorum aut donorum. Nec aliud est Deo gratias agere (quod plerique ignorant) quàm internus animæ actus, quo is qui donum vel beneficium ab illo accepit, recognoscens Deum esse dominum infinitum, à quo emanat omne bonum, gaudet de omni Dei gloria, quòdque ex tali dono se videat aptiorem, ut illum magis amet, & ei obsequatur. Et quò magis quod dictum est dilatetur, cùm res magni sit momenti, annotabimus; quod præter eā recognitionem & gaudium, quæ nunc diximus, quolibet accepto beneficio, debemus Deo offerre o-

Deo gratias agere quid?

mne id quod ſumus: in noſtra ipſorum voluntate nos annihilando, quò nos totos corpore & anima exhibeamus in ejus obſequium, producendo tunc magnos actus, quibus ob maximam Dei potestatem ac bonitatem gaudeamus, unde nobis illud provenit beneficium, pro quo nunc habemus illi gratias. Utque clariùs intelligamus quod nunc dictum eſt, debere nos ipſos annihilare, volo per hoc ſignificare, quod cum ſemper creſcere poſſimus in noſtri ipſorum imminutione, aut noſtri ipſorum deſpectu, debemus quoties Deo gratias agere volumus de ſuis beneficiis, ſingulari modo nos ipſos imminuere, quo melius nos totos ſuæ majeſtati exhibeamus. Debet itaque Dei ſervus ſibi admodum præſens eſſe, ut quoties de accepto aliquo beneficio gratias Deo egerit, is animi motus, eaque voluntas, quibus gaudet de accepto beneficio, actu procedant, ut ſupra tetigi, ex eo quod ſibi inde accedit,

Nos annihiláre debere in conſpectu Dei offerẽdo nos ipſos.

cedit, ut magis Deum amet, illique serviat rejecta à se consideratione boni, quod inde cognoscit sibi ipsi accedere, quo sic fiat robustior in solius Dei amore, & gratiores reddantur ipsæ gratiarum actiones. Opus est autem apertos habere animæ oculos: interdum enim hæc contingent non sine quibusdam defectibus, & opinabimur omnia ritè peracta esse. Fundamentum autem sumit quicquid modo dictum est, in eo, quod dicere solent Theologi ac Philosophi, quod is qui gratus esse cupit, debet benefactori aliud opus referre, tanti aut majoris pretii, quam fuerit id quod accepit. Cum ergo omnia bona nostra à Deo acceperimus, quicquid in ejus obsequiū præstare possumus, parum est etiam ad minimum suorum beneficiorum. Debemus itaque illi saltem de ipsis gratias agere modo jam dicto, idque quanto conatu nobis fuerit possibile. Hoc ipso motu intellectus ac volunta-

tis, omnique præparatione jam dictæ nostræ exinanitionis, debemus in dies singulos Deo agere gratias, ob tantum præstitum nobis beneficium: nempè quod acceperit sibi illa majestas tantum bonum quãtum habet. Easdem, ac simili modo, in dies illi gratias agere debemus ob beneficium Incarnationis, ac Redemptionis nostræ, totiusque humani generis. Deinde ob beneficia Virgini Mariæ præstita: hoc est, quod considerantes hujus summa bona ejusque gloriam, prædicto motu de hoc Deo gratias agamus, tanquam de beneficiis præstitis Heroidi, quam tantopere amamus, cuique adeò debitores sumus. Eodem modò singularissimè, saltem semel in die Deo gratias agere debemus, ob præstita beneficia universo beatorum Curiæ cælestis cætui: & singulariùs, ob gloriam iis beatis præstitam, ad quos specialiùs honorandos magis invitamur, tùm ob majorem illorum gloriam, tum ob

De quibus beneficiis Deo quotidie sint agẽdæ gratiæ.

ob nostram ad illos devotionem: quales sunt, Divi Joannes Baptista, & Evangelista, Petrus & Paulus, cæterique nostri Patroni, unà cum Angelo nobis ad custodiam deputato: singulares agendo Deo gratias, ut dictum est, ob quem libet horum beatorum, seu ob præstita ipsi beneficia. Consideranda quoque nobis sunt beneficia, quæ à Domino recipiunt quotquot in hoc mundo vivunt, potissimùm hi, qui nos injuria afficiunt, & de omnibus his gaudentes, ob id singulares gratias agemus Deo nostro potentissimo, à quo procedit omne bonum. O quam verè se ipsum amat, qui semper occupatur in prædicta gratiarum actione! nam pro suo assumens, quodcunque bonum omnibus cæteris præstitum est, inæstimabili modo facit crescere suum proprium bonum, imo & suum facit omne bonum alienum: tantoque magis accrescit suum bonum, quantò magis solo Dei amore gaudet, & de omni-

Agendæ quoque gratiæ Deo pro beneficiis ab iis acceptis qui nobis adversantur.

Quis verè se ipsum amat.

omnibus illi gratias agit, absque ullo respectu talis incrementi. In his autem postremis verbis consistit summum quod exigitur, ut gratæ Deo agantur gratiæ. Ut autem certò ita agamus, expedit maximè assuetos esse, ut omnia nostra faciamus, prout suprà continetur secundo primæ partis documento.

Amanti quod afferat da- præter peccatū nihil est.

Quò ad secundum, nempe ut qui se amat, omne damnum aut malum evitet, absit ut qui se rectè amat, aliud existimet esse quod damnum adferat, præter peccatum, aut occasionem peccati.

Amorem verum ut consequamur nulli labori parcendum.

Tertium erat, ut omni labori ad hoc obtinendum necessariò sese objiciat: hoc est ut se omnino exerceat in his quæ prædicta sunt, potissimum in secundæ partis secundo, octavo & nono capitibus. Præter illa tamen quæ ibi continentur, commodum visum est, adjungere hoc loco in modum paradigmatis rem aliquantum molestam, quæ licet sese frequenter offeras,

ferat, est tamen admodum necessaria ad obtinendum hunc verum amorem. In dies contingit, ut aliquid dicamus, aut faciamus, unde videmur confusionem nacti, quodque illi qui id audierunt aut viderunt nos vilipendent, sive id contingat ex defectu aliquo naturali, puta si malè concionati, vel malè locuti simus, aut malè cecinerimus, aut aliud quodcunque fuerit: sive ob aliquem motum effrenationem, ut intemperiem in gestu, vultu, aut verbis iracundis, & ita in cæteris. Qui se verè amat, in quolibet talium contingentium, duo considerare debet. Primùm confusionem ipsam quæ in hoc casu sibi offertur. Secundum, pravum exemplum malè de ipso judicandi, aut idem imitandi, quod alii fortè inde assument. Quò ad primum, nempè confusionem, commune in tali casu refugium omnibus esse solet, quo se ipsos consolantur & animant: considerantes, cæteros illud

Qui defectus ut plurimū quotidie contingant.

In defectibus quotidianis duo sunt consideräda.

Qui frigide se a-

mant quid facere solebant circa propriam confusionem.

lud factum aut dictum, fortassis non adeò advertisse, quantum ipse qui fecit, aut dixit, existimat: aut si ita adverterunt, quòd & cæteri frequenter incidunt in similes defectus, sive quòd jam illud obliti sunt. Hæc faciunt qui se frigidè amant. Qui autem solidè se amant, modo opposito faciunt, nempè magno amore confusionem illam amplectentes, considerando quòd cæteri ipsos vilipendent, juxta communem mundanorum consuetudinem, quodque ipsos modicæ virtutis esse existimabunt, & homines nulli rei utiles: quæ omnia vehementem patientiæ & humilitatis actum conficiunt: quorum, ut suprà diximus, etiam pauci, sufficiunt ad producendos excellentes habitus, etiamsi taceamus, quòd quolibet talium actuum, qui in Deum referuntur, magnum præstatur ei obsequium. Quod si attenti simus, in dies nobis, operis aut cogitationis offertur occasio, qua hæc agere possumus:

Perfectiores sui amatores quid in confusione propria faciant.

mus: quæ omnia perdunt nonnulli, sine methodo & negligenter vitam degentes, etiam si se devotos esse existiment. Quantum autem singulos horum actuum æstimare debeat is, qui verè se amat, bene annotet Dei servus: tum ad hunc locum, tum ad varia jam prædicta sese convertens, in quibus de his voluntatis actibus fit mentio. Illud autem, inveniet ad medium primi capitis hujus tertiæ partis. *Remissiores quam multa merita perdant.*

Alterum quod prædixi, debere considerari, in prædictis aut similibus casibus quæ confusionem adducunt, est, pravum exemplum quod cæteri possunt inde accipere. Et quantum ad hanc spectat considerationem, debet Dei servus statim actum doloris producere eò quod fortassis mali occasio fuit, aut minoris quàm par fuerit Dei obsequii. Et ita qui se amare noverit, ab uno & ab altero lucrum referet. Itaque eum qui hæc omnia habuerit, dico, se ipsum amare. Nam omnem suum amorem *In dato malo exemplo quid fieri debeat.* *Verus amator sui quis.*

in Deum referens, à se ipso, cæterisque omnibus abstrahens, ut ad Dei amorem sit capacior, & in hac vita lætius vivet, & in cœlis majorem habebit gloriam; etiam si id alio intuitu facere non debeat, nisi propter solum Dominum, cujus magis sumus quàm nostri, & cui magis debitores sumus quā nobis ipsis, cui etiam magis curæ sunt, quæ nobis conveniunt, quàm nobis ipsis: quique magis laboravit ut daret nobis vitam, quam nos ut illam haberemus.

Beatus etiam in terris quis.

Concludentes itaque nostrum hoc opusculum, duobus substantialibus punctis illud in epilogo comprehendamus. Nempe beatum illum esse, qui omnes suos motus, & opera propter solum Deum fuerit operatus, quemadmodum declaratum est. Beatum rursum illum, qui in anima sua validè firmaverit multiplicitatem actuum, qui toto hoc libello referuntur: quos exactè nosse debet tirunculus, qui hac methodo re-

Actio qualibet nisi propria quadam so-

ctè

ctè uti cupit: qui autem in Dei obsequio magnus est, frequentissimè debet illos in opus reducere, cum magni valoris esse nequeat, rursum dico, esse nequeat obsequium quod non actu adjungatur alicui voluntatis actui, prout variis documentis & capitibus hic sparsim traditum est. Legant igitur omnes hanc Methodum, legant qui eam noverunr, quo faciliùs valeant meminisse, quo pacto sibi serviri velit altissimus. Legant qui non noverunt, quò pertingant ad tam sublimem scientiam, certò enim clarissimè perspiciet, qui rectè judicaverit, quòd qui ipsa usus fuerit, uno anno plura, perfectioraque Deo præstabit obsequia, eorum, quæ magni æstimanda sunt, ob magnum auxilium quod illius instructione percipiet, quàm decem annis is, qui non fuerit adjutus ea, aut alia simili, si Deus ac Dominus noster eam ipsi dare voluerit. Istud autem, comprobatur ex magna quam fatentur omnes esse in mundo

luntatis affectione ferantur in Deum, exigui valoris est.

Pij libri ad perfectionem necessarij.

do necessitate librorum, sanctorumque verborum, quibus doceamur: quum ad hoc conscriptum sit sacrum Evangelium, & quicquid boni in mundo est. In hac autem Methodo singularissimè proponitur, quo pacto possit sublimi modo in opus deduci, quicquid in illis scriptum est. Præterea id ostenditur multorum confessione, qui existimabant, se antea sufficientem habere Dei amorem juxta humanam fragilitatem, quòdque ei servirent ad ipsius voluntatem: lectâ autem hac Methodo, affirmarunt, nunquam propemodum se illi servisse; nunc verò, uno die plus ipsi servire quam antea in decem. Id autem amplius experientiâ manifestabitur eorum, qui frequentius hæc relegentes operari voluerint modo hic tradito, nempè ut operentur, semperque operentur ad laudem & gloriam magni illius ac potentissimi Dei & Domini nostri, cujus magnalia, bonumque supernum, toto corde, & in-

Hæc Methodus praxis est non theoriæ.

& intimis viſceribus laudent
omnes creaturæ in ſæ-
cula ſæculorum,
Amen.

***



INDEX EORUM QVÆ SVMMATIM IN ſingulis cujuſque partis hujus opuſculi Documentis & Capitibus continentur.

PRIMÆ PARTIS.

De

SECVNDÆ PARTIS.

De do-

TERTIÆ PARTIS.

ERRA-

ERRATA CORRIGES.

Fol. 10. §. 6. à fin. charitatis l. claritatis.
13 §. 2. quotquoti l. quotquot
14. § 2. ait l. agit.
33. §. 13. parebit l. patebit.
37. §. 1. cognitio l. cognito.
43. §. 2. diligentias l. diligentia
§. 3. omni l. omnia
§. 4. Spairitus l. Spiritus.
44. §. 5. luti l. veluti.
45. §. 11 à fin. repugnas l. repugnans.
73. §. 7. iiud l. illud.
77. §. 11. à fin. pareat l. pereat.
90. § 13. cobis l. nobis.
133. §. 3. quit l. quis.
137. §. 7. cujus l. cuivis
142. §. 4. à fin. erdita l. perdita.
164. circa med. sublis l. sublimis.
165. §. 8. dejectio l. dejecto.
§. 11 habuissent l. habuisset.
§. 12. tamen l. tantum.
207. §. 12. ut l. &

